# FEDERICI BONAVENTVRAE VRBINATIS.

## PRO THEOPHRASTO, ATQVE Alexandro Aphrodiſienſi, de vero tempore ortus, atque occaſus Orionis,

## *APOLOGIA.*

TRIBVS LIBRIS DISTINCTA.

*In qua de ſpeciebus ortus & occaſus ſyderum ex Ptolemæi ſententia latiſsime agitur, multaque loca veterum Poetarum, Medicorum, ac Philoſophorum, & preſertim Homeri, Hippocratis, Hæsiodi, Ariſtotelis, Arati, Hipparchi, Galeni, Theophraſti, Alexandri, Vergilijque enarrantur.*

AD CLARISSIMVM MATHEMATICVM IO. ANTONIVM MAGINVM PATAVINVM.



VENETIIS, M D XCIV.

Apud Franciſcum de Franciſcis Senenſem.

# FEDERICI BO-NAVENTVRÆ VRBINATIS.

## APOLOGIÆ.

### Liber Primus.

## PRÆFATIO.

### AD IOANNEM ANTONIVM MAGINVM.

QVANQVAM Theophraſti libellus de ventis, & incuria temporis, & hominum iniuria mirum in modum mutilus, ac vitiatus eſſet; non me deterruit tamen rei difficultas, quominus ſuperioribus annis illum è græcorum tenebris, vbi diù latuerat, quoad eius fieri potuit, pro ingenij mei imbecillitate in ſplendidiſsimam latini ſermonis lucem trasferrem, annotationibuſq; prò virili illuſtrarem. Cum autem inter alia libelli huius loca difficillima, incidiſſem in quæſtionem illam, vbi tex. 54. Theophraſtus de ventis Orionis ortu, & occaſu ſurgentibus diſputationem inſtituit; ſtatim in mentem venit, quàm malè hac in re clariſſimus hic autor à Vicomercato 2. Meteoron accipiatur, totaq; illius tractatio exagitetur. etſi enim omnes ferè, qui præclariſsimàm, & caſtiſsimam Peripateticorum Philoſophiam profitentur, Theophraſtũ in cunctis ſequantur, non defuere tamen aliqui (vt hominum ſunt ingenia) qui, vt

 quid

quid ſentirent liberè explicarent, tanti Philoſophi opinioni contradixerunt. Id ego cum factum viderem à Vicomercato magno homine, & in primis erudito, qui com. 42. explicationem à Theophraſto allatam, & ab Alexandro acceptam, validiſsimis rationibus, conatur oſtendere, & Ariſtotelis doctrinæ, & rationi ipſi contrariam eſſe, huius viri exiſtimatio, atq; eruditio tanti apud me ponderis fuit, vt diu ſuſpenſum me habuerit, ac eius rationes ita torſerunt, præſertim quia in Principis Philoſophorum auctoritate nixas eſſe ipſe ſcribit, vt maxima eas animaduerſione dignas eſſe exiſtimauerim, cum incredibiles detegere profiteretur errores eorum hominum, qui haud quaquam in re philoſophica errare ſolent. Verum è contra durum ſanè mihi videbatur alterũ philoſophiæ peripateticæ Præceptorem vna cum Alexandro, duo clariſsima lumina ariſtotelicæ doctrinæ, quorum iudicium apud grauiſsimos ſcriptores inſtar omnium eſſe conſueuit, ac maximi momenti ſemper habitum eſt, tam longe abfuiſſe, cum à veritate ipſa, tum à Præceptoris mente. Quamobrem hęſitabundus doctiſsimos viros conſulere cępi, atq; inter hos Aloyſium Lollinum Patritium Venetum amicum optimum ac hominem diſciplinis omnibus ornatum, qui ex trypode tantas tantorum autorũ controuerſias mihi enarrarent, nec citra enodationem relinquerent. cum autem de re præſertim aſtrologica quæſtio eſſet, tuam Ioanne Antoni (tanquam Mathematici ætatis noſtrę inſignis & cuius ſcripta ex puriſsimis Ptolemæi fontibus hauſta ego plurimum admiror) Aloiſij Lollini opera ſententiam ſciſcitatus ſum, qui (vt humaniſsimus es) ſcripſiſti ad me epiſtolam quãdam, quæ hiſce meis cogitationibus quaſi aurea Mineruæ lucerna ingentẽ lumen accendit; atq; ad tempora indaganda ortus & occaſus Orionis, ſyderumq; reliquorũ maximi adiumenti mihi fuit, velutiq; Lesbia regula, ad quam ſupputationum mearum rationem accomodarem. Verum cum tibi & reliquis omnibus, quibus cum aut voce, aut ſcriptis de hac egi controuerſia, locũ Theophraſti obſcuriſsimum & fortaſſe corruptum, rationeſq; Vicomercati efficaciſsimas, & maxime ferientes videri animad-

uer-

uerterem: ego verò è contra mihi perſuadere non poſſem, viros extra omnem aleam excellentiſsimos veritatem non fuiſſe aſſecutos, quamuis abſtruſa, nec ſatis conſpicua ex eorum ſcriptis appareat: idcircò animum appuli, ſi quomodo poſſem ex ipſorum verbis eam elicere, alijſq; conſpiciendam tradere: præſertim cum eorum opinioni tantum tribuam, quantum autoritas illorum ſuſtinere poteſt. Itaq; opere prætium me facturum arbitratus, ſi cum Vicomercato in arenam deſcendens pro Theophraſti, & Alexandri dignitate valde contenderem, totiſq; viribus certarem; calamo manum admoui, atq; rationes omnes in Apologiam quandam digeſsi, quæ non ſuadere tantum, verùm etiam, & cogere mihi videbantur, vt fateremur, clariſsimos illos viros in foribus ſtetiſſe veritatis. Quod ſanè opuſculum, cũ patrio ſermone paucis diebus confeciſſem, illudq; poſtea cũ verſione nonnulliſq; alijs lucubrationibus in angulũ quendam eieciſſem, vt remiſſo temporis longinquitate amore, qui in partus noſtros tantus eſt, quantus poteſt eſſe maximus, ſic facilius errores meos agnoſcere poſſem; nuper coactus amicorum ſuaſu aliiſq; de cauſis, præter omnem deliberationem meam, Verſionem, & Annotationes diuulgare, Apologiam quoq; huius libelli gratia conſcriptam imprimendam eſſe cenſui; quam dum in digerendis annotationibus, relegendaq; verſione, ac opuſculis, alijs de Pluuiarum Ventorumq; ſignis tranferrendis occupatus eſſem, Petrus Paulus Florius Vrbinas vir & ſanctitate morum, & diſciplinarum cognitione omnibus carus, ac mei amantiſsimus, vt me hoc labore leuaret, amicitiæ cauſa latinã reddidit. Hanc igitur mi Magine ad te nunc mitto, ſicuti & cum eam ſcripſi, conſilij mei ratio fuit, vt eam ad te quamprimum perlegendam, ac iudicandam mitterem. Et ſi quæ ſcribo, tibi probabuntur, in Theophraſti, ac Alexandri cauſa me feliciter verſatum eſſe arbitrabor; ſin tu ſecus iudicabis, ac me dediſſe manus cenſeas, nunquam mihi dubium erit, quin iudicium tuum meo ſit anteponendum. neq; eſt cur Vicomercatus, aut alius quiſq; hac in re mihi ſuccenſeat, ſi quid ipſe ſentiam explicem, atq; eruditiſsimos viros, qui de re philoſo-

loſophica benemeriti ſunt, à ſuis argumentationibus defendam: cum ego ipſi non ſuccenſeam, qui eos reprehendit, quos melius ego, verbo abſit inuidia, ſapientiusue defendendos iudico. voluit vir doctus quod verum ſentiebat liberè dicere; & ego quoq; ſplendidiſsimum veritatis iubar, quod in eorum dictis elucet, pro virili demonſtrare contendo. Hæc ſit eruditorum mens, ac eorum qui philoſophantur, vt abſq; aliorum iniuria quidquid ſentiunt, libero animo ſuis ſcriptis inſerant, & quod illis licet, alijs etiam licere æquo animo patiantur: mihi enim ſemper placuit, antiquorum auctoritatem, ac vt credo doctrinæ veritatem, diſputatione defendere: quod etiam in hac ipſa mea Apologia facere aggredior, cuius ordo, ac methodus eiuſmodi erit. p. libro diſcutiam, an Theophraſti locus corruptè legatur, quò ve modo intelligendus ſit, Vicomercatiq; oppoſitiones recenſebo; & quoniam de ortu & occaſu ſyderum ſermo eſt, de re hac pluribus agam, quot ſunt horum aſpectuum ſpecies ex Ptolemæo oſtendens, vt clarius innoteſcat, de qua nam ortus, vel occaſus ſpecię Theophraſti verba ſint intelligenda. Dein 2. lib. quia mentionem facit de anni temporibus Theophraſtus, quo magis eius verba, mensq; eluceſcat, enitar aperire, anni diuiſionem ab auctoribus antiquis traditam, quo tempore, quo ve modo initium apud ipſos ſumeret, & diſpoſita eſſet; ſimul etiam, & de ortu, & occaſu Orionis, quando ea tempeſtate accidebat, explicabo; oſtendáq; vera eſſe, quæ de huius Aſtri ortu, & occaſu Theophraſtus docuit. Tertio lib. Vicomercati rationes diluam. Verum quia tanquam ſacram anchoram verba Ariſtotelis 2. Meteoron amplectitur, in quibus tota vis eſt ſuæ argumentationis, quo loci philoſophus de ijsdem rebus differens, videtur diuerſa tempora aſcribere ortui Orionis, quid ipſe ſenſerit de hac re explicare conabor; & quamuis interpretes ſubobſcura eſſe, & cognitu difficilia iudicauerint (quamobrem diuerſi, diuerſo modo ea expoſuere) tentabo tamen oſtendere, nec obſcuram ſententiam philoſophi eſſe, nec diuerſam ab ea, quam Theophraſtus docet, nec contrariam.

*Theophraſti uerba ex Alexandro in ſuum priſtinum nitorem reſtituta, & auctoritate Ariſtotelis firmata recitantur, arbitrandumque eſſe Theophraſtum, Ariſtotelemue rectè ſenſiſſe de tempore ortus atque occaſus Orionis demonſtratur. Cap. I.*

IAm vero, vt ad primum diſputationis membrum deueniam, operepretium eſt referre verba auctoris: non vt leguntur in eius libello de Ventis, cum ab Aldo, tum Baſileæ impreſſo, lacera atque corrupta: in quo ne vlla quidem vmbra, ne dum veſtigium veritatis reliqui eſt: (quod malum ſerpit etiam per totum huius præclari viri libellum) verum ea ipſa, quæ ſingulari eius quodam fato integra incorruptaque retinent commentaria Alexandri Aphrodiſienſis, in 2. Meteorō, qui huius autoris ipſiſſima verba in hunc modum
,, refert com. 24. καὶ θεόφραστος δὲ ἐν τῷ περὶ ἀνέμων, περὶ τούτων οὕτω
,, λέγει ἔπ'. ὠρίωνος ἀνατολῇ καὶ δύσει τῶν πνευμάτων ἀκρισίαι συμ-
,, βαίνουσιν, ὅτε ἐν ταῖς μεταβολαῖς ἀεὶ πάντα πέφυκεν ἀριστεῖν. ὁ δ' ὠ-
,, ρίων, ἀνατέλλει μὲν ἀρχῇ ὀπώρας. δύνει δὲ ἐν ἀρχῇ χειμῶνος. ὥστε διὰ τὸ
,, μήπω καθεστάναι μηδεμίαν ὥραν, τῆς μὲν, γινομένης, τῆς δὲ παυομέ-
,, νης, ἀνάγκη καὶ τὰ πνεύματα ἀκατάστατα καὶ ἄκριτα εἶναι, διὰ τὸ ἐπα-
,, μφοτερίζειν ἐξ ἑκατέρας. ὅθεν δὴ καὶ χαλεπός λέγεται, καὶ δύνων καὶ ἀ-
,, νατέλλων. Hoc eſt, & Theophraſtus in libello de Ventis, de
,, his ita ait: Orionis exortu & occaſu, inconſtantes maxime
,, ſpiritus eſſe conſpiciuntur: quoniam natura comparatum
,, eſt, vt omnia ſemper in mutationibus ſint indeterminata:
,, Orion autem oporæ initio exoritur, ineunte vero hyeme oc
,, cidit: quamobrem, cum nullum adhuc tempus ſtabile ſit,
,, ac firmum, cum hoc quidem incipiat, illud vero deſinat,
,, neceſſe eſt ſpiritus eſſe incertos, atque indiſcretos, vt pote
,, qui ab vtriſque temporibus ancipitem nanciſcantur natu-
,, ram, quare exoriens, & occumbens difficilis Orion nuncu-
,, patur. Quod vero germana hæc ſint Theophraſti verba, non ſolum Alexandri auctoritas oſtendit, qui hunc citans locum alioſve eiuſdem libri in ſuis commentarijs, apparet illum integrum, ac emendatum habuiſſe, atque forſitan quemadmodum ex illius doctiſſimi viri officina prodijt, quod fa-

tetur

tetur etiam Vicomercatus, qui contra hęc ipſa verba ab Alexandro citata diſputat; verum etiam Ariſtotelis teſtimonium in problematibus id ſuadet: nam cum Theophraſtus voluerit, (quod ſatis perſpicuum eſt,) in libello de ventis, perpetua oratione ea pertractare, quæ ex Præceptoris doctrina conciſè & problematicè diſſerentis accepit: perinde atque alia quædam ſcribendi argumenta deſumpſit, conſimili ſtylo ab eo pertractata, de quibus Ariſtoteles problemata fecit, ſicuti videbimus in libello de igne & ſimilibus, meo quidem iudicio haud dubitandum eſt, quin hęc ipſa Theophraſti verba ſint, cum in particulæ vigeſimæſextę duodecimo problemate ſecundum grecanicam partitionem eadem pertractauerit Philoſophus de ortu & occaſu Orio-
,, nis, ac eiuſdem met verbis, quæ talia ſunt. διὰ τί ἐπὶ ὠρίω-
,, νι γίνονται ἄιολοι μάλιϛα αἱ ἡμέραι, καὶ ἀκαιρίαι τῶν πνευμάτων.
,, ἢ ὅτι ἐν μεταβολῇ ἀεὶ πάντα ἀοριϛει μαλιϛα. ὁ δ᾽ ὠρίων ἀνατέλλει
,, μεν ἀρχῇ ὀπώρας, δύνει δὲ χειμῶνος. ὥϛε διὰ τὸ μήπω καθεϛάναι μί-
,, αν ὥραν, ἀλλὰ τὴν μὲν γίνεσθαι, την δὲ παύεσαιθ, διὰ ταῦτα ἀναγκη
,, καὶ τὰ πνεύματα ἀκαταϛατα εἶναι διὰ τὸ ἐπαμφοτερίζειν τὰ ἐξ ἑκα-
,, τέρας. καὶ Χαλεπὸς δὲ λέγεται καὶ δύνων καὶ ἀνατέλλων ὁ ωρίων διὰ
,, τὴν ἀοριϛίαν τὴς ὥρας. ανάγκη γὰρ ταραχώδη εἶναι καὶ ἀνώμαλον. Hoc
,, eſt, cur Orionis ex ortu, atque occaſu dies maxime variant,
,, importunique flatus mouentur? an quoniam in mutatio-
,, ne ſemper omnia indefinita maximè ſunt, Orion vero opo-
,, rę initio oritur, hyeme autem occidit, quamobrem cum nul
,, lum adhuc tempus ſtabile ſit, ſed hoc quidem incipiat, illud
,, vero deſinat, propterea neceſſe eſt flatus etiam eſſe inconſtã-
,, tes, vtpotè qui vtriuſque tempeſtatis naturam redoleant, &
,, ſanè difficilis Orion dicitur occumbens atque emergens ob
,, tempeſtatis ipſius incõſtantiã, ſiquidem neceſſe eſt turbulen
,, tum eſſe & inequalem. Quo in loco ſatis clarum eſt, idẽ affirmare Ariſtotelem, nempè tunc tẽporis difficiles ventos atq; incertos ſpirare; atq; Orionem exoriri oporę initio, occidere vero principio hyemis: quod cum verum ſit, cõſequens erit nullo modo nos poſſe, vt autorem a Vicomercati calumniis vindicemus, aſſerere locum eſſe corruptum; ſed neceſſe erit,

vel exquiſitis rationibus requirere veritatem, vel Vicomercato concedentes ſinere Theophraſtũ, Alexandrũ, quin etiam & Ariſtotelem cauſa cadere, tanquam ſi minimè intellexiſſent quibus temporibus Orionis ortus, atq; occaſus accideret; quod quam turpe ſit credere, quantumq; abhorreat ab exiſtimatione tantorum hominum, nemo eſt qui nõ videat. cum & Aſtrologiæ peritiſsimi extiterint, & ſcientiã de ortu & occaſu ſyderũ optimè calluerint. quandoquidẽ Ariſtoteles in prima particula problematũ, & alibi interdum, at præcipuè octauo de Hiſtoria animalium, penè in omni periodo de ortu & occaſu Pleiadum, Caniculæ, Arcturi, verba fecit, horumq; ſyderum occultatione atq; apparitione, tempora decreuit, quibus piſces cæteraq; animalia ſeſe abſcondunt, vel capiuntur; Theophraſtusque in libris de Hiſtoria & cauſis plantarum tempora ſerendi, germinandi, inſerendiq; eodem modo docuit, atq; adeo his ſtudijs addictus fuit, vt etiam libros conſcripſerit de Democriti Aſtrologia, atq; de Hiſtoria Aſtrologica, vt autor eſt Diogenes Laertius; quamobrem non eſt cur miremur, ſi in libello de Pluuiarum ſignis, ſatis ſuperq; ſe ſcire oſtendit, quot quales ve eſſent ſyderum ortus, & occaſus, ita
,, ſcribens. Ea igitur ſigna, quæ ab orientibus aſtris, & oc-
,, cidentibus pendent, ex aſtrologicis monimentis petenda
,, ſunt: porrò occaſus duplices inueniuntur; enimuerò, &
,, occultationes occaſus ſunt, fit autem occultatio, cum aſtrũ
,, vna vum ſole occidit; & quando ſole exoriente aſtrum iden-
,, tidem occumbit, dicitur occidere. ſimili modo duplices
,, ſunt exortus; hi quidem matutini, cum ſydera ortum ſolis
,, anteuertunt, hi verò veſpertini, vbi ſimul cum labente ſole
,, oriuntur. ex quibus ſatis perſpicuum eſt illum intellexiſſe, qualis eſſet, cum matutinus, tum acronichus ortus. hic lectorem admoneo, quod etiam annot. *6.* ſuper illud opuſculum animaduerti, Theophraſtum, ortum matutinum apparentem intelligere, non autem verum, quem ſatis apto vocabulo Plinius vocat emerſum, Ptolemæus autem ἐπιτολὴν, vel προανατολὴν ἑῴαν φαινομένην, quemadmodũ infra dicetur: fit enim quoties ſtella præit ſolem, cum ſupra

noſtrum horizontem aſcendit, quod propriũ emerſionis eſt.

*Demonſtratur τῶν ἀςρῶν nomine, Vergilias, Orionem, Canem, & Arcturum, ab Ariſtotele, Theophraſto, alijsq; doctis viris illius ætatis potiſſimum intelligi. oſtenditur ad horum ſyderum ortum, & occaſum, temporum mutationes retuliſſe Homerum, Hippocratem, Ariſtotelem, Theophraſtum, ac Cæſarem; colligitur demum in Theophraſti libello mendum non eſſe.*

*Cap. II.*

SI igitur Ariſtoteles atq; Theophraſtus ita verſati extitere in re aſtrologica, prӕſertimq; in cognitione exortus, & occaſus ſyderum ſcientiſsimi, haud quaquam mea quidem ſententia dicendum eſt, eos erraſſe, cum tempora exortus, & occaſus quorundam ſyderum notare illis contingebat. quo iacto fundamento, ſequitur non poſſe dici clariſsimos hoſce viros ſyderum tempora à vetuſtioribus quibuſdam accepiſſe, vnde, eos errorẽ hunc hauſiſſe quis facile credere poſſet; (perinde atq; Varroni, Plinio, Collumellæ, Vitruuio, alijsq; euenit, quorũ deſcriptio ob id potiſsimum varia, & inconſtans apparet;) quin potius Metonis monumẽta ſumpſiſſent, ſi quando id voluiſſent efficere, qui omnium græcorum peritiſsimus fuit Aſtrologiæ; quique etiam proxima illa ætate ſic exquiſitis numeris, verisq; rationibus ſyderum motus proſecutus eſt, quibus apprimè phænomena reſpondebant, admirabilisq; naturalium mutationum prædicendi ratio, quemadmodum teſtis eſt Diodorus Siculus, vt mira omniũ cõſenſione excellentiſsimus habitus ſit: eoq; magis, quia parum differre poterant ortus, & occaſus ſyderum, ob tarditatem motus illorũ; cũ vix elapſi centũ eſſent anni, exquo Meton Athenis viuebat. Quod ſi nec ipſi per ſe inuenire, nec Metonis monumentis vti voluiſſent, non deerant tamen, ſi Theoni credimus Arati commentatori, qui hanc prouinciam potiſsimum ſuſcipiebant; cum in more poſitum eſſet, vt idem refert, apud illius tempeſtatis aſtrologos, ortus, & occaſus,

ſyde-

ſyderum notare, ex quibus initia temporum anni oſtendebant prædicebantq;, qui dies ſereni futuri erant, qui ve pluuij, rurſus qui flatus, quibus diebus ſpirare inciperent; atq; hoc modo totum Metonis annum ſucceſsiuaq; tempora dimetiebantur. quæ omnia in tabulis relata omnibus Græcie ciuitatibus, hominum commodo conſpicienda tradebant, qui mos à Metone incipiens, eius exemplo moti idē poſtea fecere Aſtrologi, qui ſecuti ſunt vſq; ad Arati tempora; qui Theophraſti ſeculo, vel paulo poſt vixit. quod etiam Cæſarem feciſſe teſtantur autores, qui ſolarem annum Romanis inſtituens, adnitente ſibi M. Flauio & Soſigene inſigni mathematico, non ſolum luminarium congreſſus, æquinoctia, atq; ſolſtitia, verum etiam ſtellarum fixarum ortus, atq; occaſus in ſuo Calendario conſcripſit & per edictum cuncta obſeruari iuſsit. vnde & Pronoſticorum vſus noſtræ æſtatis emanauit: quæ profectò tabulæ multum Arato profuerunt ad ſuum Poema conficiendum, vt notat Theon, qui teſtis loco duo illa carmina recitat in commentarijs.

*Γινώσκεις τὰ δε καὶ σύ τὰ γὰρ συναείδεται ἤδη*
*Εννέα καίδεκα κύκλα φαεινοῦ ἠελίοιο*, &c.
Cognoſcis hæc & tu: Concinunt enim iam
Nouem & decem circuli lucidi ſolis. &c.

ex quibus etiam ſatis clarum eſt, Aratum cum de ortu, & occaſu ſyderum caneret, ea ceciniſſe, quæ nota omnibus erant, atq; conſpicua; idq; nulla alia de cauſa, niſi quia nemo adeo rudis erat, qui neſciret, quibus anni temporibus eiuſmodi ortus, & occaſus, inſuper etiam quando pluuiæ, venti, cæterę q; aëris mutationes, & affectiones contingerent. quam conſuetudinem Aſtrologi etiam noſtra tempeſtate in ſuis lunarijs retinent. quæ res, ſcriptoribus illius ætatis non paruam attulit obſcuritatem, qui ad illa tantum tempora inſpicientes, ſic ea attingebant, ac ſi, vt re vera erat, de re nota loquerentur. id quod factum vidimus à Theophraſto, Ariſtoteleq; his in locis, quæ præ manibus habemus de Orionis ortu atq; occaſu. Atq; hinc etiam eſt, quod Hippocrates in Epidemijs tam ſæpe mentionem faciens de ortu, & occaſu Vergiliarum, Arcturi, Caniculæ, conciſè

„ ciſè ſic loquitur. Ad Canem vſq;, Ad Vergilias vſq;, ſub
„ Arcturo, ad Arcturi ortum: ſupponens quoties de ortu, & occaſu eorum ageret, omnes ſcire, an matutinus, ſiue veſpertinus eſſet; quibusuè temporibus exorirentur, & occiderent, conſimiliq; modo cæteris in locis; qua de re tertio de Diæta veſpertinum Arcturi exortum, tantum Arcturi exortum vocat: id ipſum Ariſtoteles Theophraſtuſq; fecere, quorum alter (de Theophraſto exempla non adducam, ne moleſtus ſim) cum de veſpertino occaſu eiuſdem agere deberet, ſatis illi fuit, vltimum occaſum appellaſſe, cum de tempore, quo Thunni capiuntur, verba faceret cap. xv.
„ libri viij. de Hiſt. anima. ita aiens, Capi incipiunt, Virgi-
„ liarum ab ortu, ad Arcturi occaſum vltimum: quid plura? ex infinito penè ſtellarum numero, quibus cęlũ illuſtratur, perſpicuum eſt, eruditam illam antiquitatem, cum poneret hanc ſolam vocem, ἄστρα, quæ omnibus poteſt eſſe communis, ſuppoſuiſſe, ſatis facile à quocunq; intelligi, de quibus ſyderibus ipſa loqueretur; ſicuti clarum eſt ex eodem
„ Ariſtotelis loco parum infra vbi inquit; piſces autem ęſtate
„ latere, videtur illud eſſe indicium, quod ſub Aſtris fiant ca-
„ pturæ, & præcipuè ſub Cane: ex quo loco manifeſtum eſt, cum dici non poſſit, verba illa, ſub aſtris, ſignificare omnia lumina, quæ in cęlo ſplendent, peculiares aliquas tantũ innuere ſtellas; quod feciſſe etiã philoſophũ videmus probl. 22. part. 26. & poſt illum Theophraſtum in libello de Ventis, illuſtrius verò ac clarius in de tranquillitatis ſignis, vbi ita
„ ait, ſub aſtris vt plurimum prænunciari conſueuit. item
„ æquinoctijs & ſolſtitijs. Cæterum veteres hac voce, ἄστρα, explicaſſe potiſsimum nobis quatuor illa notiſsima ſydera Vergilias inquam, Orionem, Caniculam, Arcturumq; ex quorũ ortu, & occaſu, vſus docuit varias aëris mutationes euenire, & quorũ ortu, & occaſu antiqui totius anni partitionem auſpicati ſunt, hoc primum colligitur ex Hippocrate magno medicæ artis patre, qui ſemel & iterum, quoties eorum aliquam mentionem facit, vtitur ſolum hac voce, ἄστρα, quemadmodum potiſsimum fecit lib. de aëre, aquis,
„ & locis, vbi ſic inquit, cum temporum mutationes, & aſtro-

rum

rum ortus,& occaſus obſeruauerint,quemadmodum ſingula horum eueniant, prænoſcent vtiq; & de Anno qualis ſit futurus. & in alio loco,ſi enim ſecundum rationem fiant ſigna in aſtris occidentibus, & exorientibus, & in autumno aquæ fiant, ex quò loco perſpicuum eſt per illam vocem, ἄϛρα, diuinum Senem pręſertim ſignificaſſe nobis Vergilias,Canem, & Arcturum; veluti eodem libro ſe ipſum declarans his verbis infert,opportet autem , & Aſtrorum exortus cōſideraſſe præcipue Canis, deinde Arcturi, & Pleiadū quoq; occaſum. ſecundo id ipſum ſatis clare probat Ariſtoteles prob. 3. p. partis,vbi querens, cur mutationes temporum ventorumq; augere, minuere, iudicare morbos omnes ſoleant, ſubiungenſq; etiam ἐπιτολὰς τῶν ἄϛρων habere eandem vim , hac de cauſa, quia eorum exortu mutationes temporum fiant, ventorum, frigoris , atq; æſtus,& pluuiarum, ſtatim volens oſtendere , de quibus nam ſyderibus verba faceret , tantum illa quatuor enumerat, de quibus ſupra diſputationem habui. Demum hoc idem etiam & Theophraſtum docuiſſe puto, qui libello de aquarum ſignis , enumerans ea præſagia, quæ de ortu & occaſu ſyderum accipienda ſunt , hęc quattuor tantū ponit,ita ſcribens. Porrò autem Arcturi exortus vtroq; modo accipiuntur ; nam qui hyeme fit veſpertinus eſt, qui vero autumno matutinus : reliquorum autem illuſtrium ſyderum exortus , vt plurimum matutini obſeruantur , vt Vergiliarum , Canis , & Orionis . Vnde colligendum eſt non ſolum illa quatuor ſydera à philoſophica , & medica ſchola obſeruanda eſſe, nempè Vergilias, Orionem, Canē, & Arcturum,vt diximus, verum etiam,( quod ad rem noſtram maximè facit) ad Orionis aliorumq; duorum ſyderum exortum, matutinum ſpectandum eſſe , quo pluuias , ventos , cæteraſq; aëris affectiones diuinemus : ex quibus perſpicuum eſt, Theophraſtum eo in loco, quem præ manibus habemus, nullum alium eius ſyderis ortum intellexiſſe, præter matutinum. idem & de Ariſtotele dicendum, qui ea voce , ἐπιτολαὶ , problemate ſupra citato , hoc ipſum affirmat: & quod ad Orionem attinet, vt de alijs ſyderibus taceam, haud credo aliquem eſſe, qui neſciat, quantum anti-

quitas

quitas illam obſeruauerit, circa aëris mutationes, quantiq; apud illos fuerit vt ob eandem cauſam in ſacris litteris huius aſtri mentio habeatur, quemadmodum in libro Iob cap. 9. videre poſſumus, quo loco ab antiquis Patribus præſertimq; à D. Gregorio diuoq; Hieronymo plura de Orione diſſeruntur; atq; inter Ethnicos Homerus (qui, vt mea quidem fert opinio, ſtudens oſtendere optimo Imperatori neceſſariam eſſe cognitionem Coſmographię, atq; Aſtrologię, quibus poſſet, ſitus locaue inſpicere, multa ab Vulcano in ſculpta fuiſſe mira quadam arte in Achillis Clypeo finxit) poſtquam narrauit, Vulcanum impreſiſſe Cœlum, Terram, Occeanũq; expreſſe enumerat Vergilias, Hyadas, atq; Orionẽ: quæ ſydera maximam vim habent in aëris tempeſtatumq; mutationibus: inſuper addens etiam ab Vulcano inſculptam fuiſſe plenam lumine lunam, quæ ſic conſtituta, maximam vim habet, mariſq; commotionem facit, ac tempeſtatem; veluti inter multos teſtis eſt Cæſar, qui quarto ſuorum commentariorum de bello Gallico ſcribit. Eadem nocte accidit, vt eſſet luna plena, quæ maritimos æſtus, maximos in occeano efficere conſueuit, carmina vero Homeri 18. Iliados hæc ſunt.

ἐν μὲν γαῖαν ἔτευξ᾽, ἐν δ᾽ οὐρανὸν ἐν δὲ θάλασσαν.
ἠέλιόν τ᾽ ἀκάμαντα, σελήνην τε πλήθουσαν.
ἐν δὲ τὰ τείρεα πάντα, τά τ᾽ οὐρανὸς ἐστεφάνωται
πληϊάδας θ᾽ ὑάδας τε, τό, τε σθένος ὠρίωνος. id eſt.
In que eo terram affinxit inq; cœlum, inq; mare.
Solemq; infatigabilem lunamq; plenam.
Inque ſydera omnia quibus cœlum coronatur
Pleiadas, Hyadaſq; roburq; Orionis.

Ad hæc ipſa reſpiciens Vergilius ita primo Aeneidos de Orione cecinit.

Cum ſubito aſſurgens fluctu nimboſus Orion.
In vada cæca tulit penituſq; procacibus Auſtris.
Perque vndas ſuperante ſalo perque inuia ſaxa
Diſpulit, huc pauci veſtris adnauimus oris.

Quo loci nimboſum vocat Orionem, quoniam autor eſt, & cauſa tempeſtatum, & varietatis ventorum, necnon nubi-

um denſitatis. Quamobrem ipſe ſigillatim de Auſtris mentionem facit, quorum proprium eſt maximam vim nubium euocare. iam enim illud ſcimus, hanc vocem, nimbus, vt autor eſt Iſidorus. XIX. Originum ſignificare nubis denſitatem. Seruiuſq; exponens hunc locum teſtis eſt apud antiquos, ob id Orionis aſtrum illuſtre fuiſſe, ita ſcri-
„ bens. Orion ergo poſtea venator factus, cum vellet cum
„ Diana concubere, vt Horatius dicit, eius ſagittis, vt Luca-
„ nus immiſſo ſcorpione perijt, & Deorum miſeratione rela-
„ tus in ſydera ſignum famoſum tempeſtatibus fecit; eadem etiam de cauſa motus, diuinus hic poeta tertio Aeneidos Palinurũ inducẽs expertiſsimũ nautã ſydera ſpectantem, ex quibus cognoſceret an aliqua temporis, ventorumq; mutatio immineret, inter alia enumerat Orionem ſic.

Nec dum orbem medium nox horis acta ſubibat:
Haud ſegnis ſtrato ſurgit Palinurus & omnes
Explorat ventos, atq; auribus aëra captat.
Sydera cuncta notat, tacito labentia cœlo,
Arcturum pluiaſq; Hyadas geminoſq; Triones.
Armatumq; auro circumſpicit Oriona.

in quarto etiam maximam tempeſtatem impendere docens, Annam ſic loquentem inducit.

Dum pelago deſęuit hyems, & aquoſus Orion
Quaſſatæq; rates & non tractabile cœlum.

vbi tantum laudandus eſt Poeta, quod de ortu ſyderum mulierem loquentem introducit, nempe de re notiſsima ac ſeculis illis omnibus conſpicua, quantum alioqui culpandus eſſet, niſi laudabilis ille mos apud Antiquos inualuiſſet, ꝙ præter decorum Annam de re doctis tantum viris cognita ſermonem faceret habere. Quin etiam iure meritò aquoſum Oriona appellat, cum qualitas illa temporis, quã Gręci, χειμῶνα, latini verò tempeſtatem dicunt, haudquaquã ſit, cum ſolum venti, aut pluuiæ, aut niues, aut grandines ſunt, verum quando duæ, aut plures harum aëris affectio-
„ num regnãt; quamobrem Plinius lib. 18. cap. 28. inquit, an-
„ te omnia autem duo genera eſſe cæleſtis iniuriæ meminiſſe
„ debemus, Vnum quod tempeſtates vocamus, in quibus

gran-

„ grandines, procellæ cæteraq; ſimilia intelliguntur, quæ cũ „ acciderint, vis maior appellatur. Hæc ab horidis ſyderibus „ exeunt, vt ſępius diximus, veluti Arcturo, Orione, Hædis. „ Alia ſunt illa, quæ ſilente cœlo ſereniſq; noctibus fiunt, „ nullo ſentiente, niſi cum facta ſunt: quibus verbis ſatis clarum eſt, Plinium hic Orionem enumerare inter illa ſydera, quæ huiusmodi mutationum cauſę ſunt. Quibus ita expoſitis rationibuſq; allatis, quis non videt, haud credendum Theophraſti locum eſſe corruptum? tantumq; abeſſe, vt ille errauerit, vt potius neceſſarium fuerit concludere eius verba ſupra allata ipſam habere veritatem; quæ non prius à nobis inueſtiganda erit, quàm ſtudioſè diligenterq; verum illorum ſenſum exquiramus.

*Theophraſti argumentatio ponitur, ac enarratur; obiter quid horæ ſint apud Homerum & cur cæli portæ ab eodem dictæ, à philoſophoq; mutationum cauſæ. tempora ortus, & occaſus Orionis ſecundum Theophraſti mentem aperiuntur; recitanturq; Vicomercati aduerſus ipſum rationes.*

*Cap. III.*

THEOPHRASTI igitur mens cum eſſet, velle cauſas perquirere accidentiũ, quę ad vẽtos veniunt referenda, veluti exempli gratia, cur alij ingentes principio ſpirent, vt Aquilonij, alij verò è contra exigui, quemadmodum Auſtrini; rurſus verò, & calidi, & frigidi, hi frequentes, illi verò rari, matutini alteri, alteri autem veſpertini; poſtremo cur alij exortu Caniculæ, alij alijs temporibus exoriuntur: cum ſatis perſpicuum eſſet ætate illa, exortu, & obitu Orionis incertos inconſtanteſq; flatus ſpirare conſueuiſſe, verbis ſupra allatis cauſam accidentis huius ſibi proponit inueſtigandam, & ſic ratiocinatur. Flatus omnes, qui in temporum mutationibus excitantur incerti maximè ſpirant, & inconſtantes. At flatus, qui Orionis ortu & occaſu ſurgunt in temporum mutationibus excitantur, igitur inconſtantes maximè ſpirant, & incerti. Maiorem ſic probat. Flatus omnes, qui varijs, &

inor-

inordinatis temporibus ſpirant, & ipſi incerti ſunt, & in-
cõſtantes; at flatus qui in mutationibus tẽporum excitãtur,
varijs, & inordinatis temporibus ſpirant, ergo flatus, qui
ſurgũt in mutationibus temporum, incerti ſunt atq; incõ-
ſtantes. Quod verò hæc ſit Theophraſti argumentatio, ab
indeterminatione temporum, ad ventorum inconſtantiam,
probatur ex citato prob. Ariſtotelis, in quo, cum paulo
vberius de hac queſtione diſſeratur; non ſolum proponitur
queſtio, cur exortu Orionis inconſtantes flatus exorian-
tur, ſed & primum de diebus ipſis, cur potiſsimum per id
tempus varij eſſent, & incerti, ac ſi vt dicimus, varietas tem-
porum cauſa ſit varietatis ventorum; qua de cauſa Theo-
„ phraſtus verbis ſupra allatis cum dixit. Quamobrem cum
„ nullum adhuc tempus ſtabile ſit, & firmum, (ſubiungit con-
„ cludens.) neceſſe eſt ſpiritus incertos eſſe atq; indiſcretos.
neq; difficile eſſe exiſtimo probare, flatus qui incertis
atq; inordinatis temporibus ſpirant, quin eandem incoſtan-
tiam ſeruent, cum & ipſi pro ratione, menſuraq; caloris ſo-
lis, & tempeſtatis generentur, augeantur, ſternanturq;.
vnde ſi temporis qualitas inordinata, incertaq; fuerit, &
ipſi venti inordinati inconſtanteſq; erunt; quod vt ſuma-
tim dicam, perinde eſt ni fallor, modo iſtos, modo illos,
modo vehementes, modo debiles, modo calidos, repentè
frigidos ſpirare, etiam vno eodemq; die. ita quoq; tempo-
rum mutationes perturbatas eſſe ac inconſtantes, ſatis ma-
„ nifeſtum eſt, cum in illis, vt inquit hic Theophraſtus,
„ nullum adhuc tempus ſit ſtabile, & firmum, cum hoc qui-
„ dẽ incipiat, illud verò deſinat. Quod Aetius inter medicos
„ ſatis ſuperq; expreſsit 3. lib. his verbis. Rurſus autẽ in ſin-
„ gulis temporibus tres differentię ſunt, prima, media, & vlti-
„ ma; media itaq; ſinceriſsimum temporis temperamentum
„ habet, prima verò, & vltima à vicino tempore imminuun-
tur. de qua etiam re egregiè philoſophatus eſt Ariſtoteles
„ prob. 15. p. ſectionis ita ſcribens, διὰ τί δὲ ἡ μεταβολὴ νοσώ-
„ δης; ἢ ὅτι πᾶσα μὲν ἡ μεταβολὴ καὶ ὥρας καὶ ἡλικίας, εὐκίνητον;
„ εὐκίνητα γὰρ τὰ ἄκρα οἷον ἀρχαὶ, καὶ αἱ τελευταί, quæ ver-
„ ba ita ego interpretor longè à Theodoro diſſentiens. Cur

„ autem mutatio morboſa? an quia omnis quidem mutatio „ & temporis & ætatis motu facilis eſt? extrema enim tan„ quam principia & fines facilè mouentur: εὐκίνητον .n. idem hoc loco eſt, quod inſtabile & incertum; mutatio nanq; temporũ in extremis conſiſtit, extrema verò, principia ſunt & fines, nempè principia ſequentis, fines præcedentis tẽporis, atqui extrema facilia motu ac ſubinde incerta. hinc Hippocrates hac de re maxima ſepiſsimè Medicos admonet, nimirum vt diligentiſsimè obſeruent temporum mutationes, cum in ipſis præſertim morbi exoriantur, ſicut ipſe inquit primo Aphoriſmo tertij ſecti; ad quem locum forſan reſpiciens Ariſtoteles particula prima problematum, admonuit homines in temporum mutationibus potiſsimum valetudinem curare, vtens eodem aduerbio, quo vſus eſt Hippocrates, quod tam diu torſit Galenum in illius loci explicatione. ex qua Ariſtotelis autoritate, ſatis clarum eſt, Hippocratem in illo Aphoriſmo accepiſſe vocem, μετάβολαι, non ſolum pro mutatione, quæ fit in vno tempore, cum videlicet tempus ipſum à propria temperatione recedit, verum etiam, & pro ipſorum mutationibus, quando ex vno in alterum fit tranſitus, quamuis alia mens ſit Galeni; de qua re plura ſecundo libro de Hippocratica anni partitione. quas ſanè mutationes ipſe Hippocrates, quantũ ad Europam attinet, & ad hanc mundi partem, quam nos incolimus, reſpiciens ad eas, quæ in Aegipto, Lybiaq; fiunt, in libro de aëre, aquis & locis vocauit μεγίστας μεταβολάς. nam perinde ac ipſe dicit, ſenſibus percipimus diuerſis anni temporibus maximam frigorum, æſtuumq; differẽtiam, pluuiarũ, vẽtorum, ſiccitatumq; hyberno, æſtiuoq; tempore euenire; quandoq; etiam vno & eodem tempore, cũ è contra in Aegypto Lybiaq; temperato, æquabiliue cęlo fruãtur, nec magni interſit inter æſtatẽ ac hyemẽ, interq; ver & autumnũ: ex quo rectè dixit Herodotus in Euterpe, Aegyptios optima omnium valetudine frui, Libię populis exceptis, eo quia anni tempora haud quidem varia apud illos ſunt. & Theophraſtus lib. 2. cap 2. de Plantarum cauſis, ibi plantas ob perpetuam aëris tranquillitatem mirũ in modum pullulare,

id enim

id enim recta admodum ratione euenit, propterea quod ſicuti quatuor anni tempora, (quorum effector & moderator ſol ipſe eſt, vt innuit Philoſophus 2. de generat. & corrupt. explicatius verò Philoponus ſuis commentarijs) rerum mutationes faciunt, ita etiam ipſis variantibus conſentaneum eſt plurimum res naturales variari; qua de re antiqui hæc anni tempora Gratias vocauere, in Apollinis dextera eas locantes. Homerus etiam ob eandem cauſam quinto Iliados Horas (intelligens, quattuor anni tempora) cęli ianitores effinxit, habereq; vim turbidum æque reddendi cęlũ, atq; ſerenum; ac ſi diceret, ipſas cœleſtem virtutem impartire rebus inferioribus, atq; tribuere, & ſua mutatione variare. ſed vt ad propoſitam quæſtionem redeamus, concludendum eſt, flatus, qui inordinatis incertiſq; temporibus ſpirant, incertos, inconſtanteſq; eſſe, & qui in mutationibus temporum exoriuntur, flare in incertis inordinatiſq; temporibus: vnde conſequens eſt, flatus omnes, qui in temporum mutationibus flant, incertos eſſe, ac inconſtantes, quemadmodum maior propoſitio primæ argumentationis Theophraſti poſuit, idq; ſatis probatum eſt. Iam verò alia propoſitio explananda eſt, nimirum flatus, qui exortu & & occaſu Orionis potiſsimum ſpirãt, in mutationibus temporum maximè ſpirare: cuius rei gratia tanquam ſenſuum fide notũ, primũ illud ponit Theophraſtus, ſua ætatę Orionem naſci, atq; occumbere in temporum mutationibus; Nam oporæ initio conſpiciebatur, vt ipſe refert, hyemis itidem initio occultabatur; vnde conſequens erat, cum Orion oriretur, ac occideret quando ex æſtate in oporam, ex autumno in hyemem fieret mutatio, illos flatus, qui eius ortu, & occaſu ſurgebant, neceſſario in temporum mutationibus flare. Aduerſus hanc rationem Vicomercatus, vt reor, autoritate Ariſtotelis 2. Meteoron fultus, quo in loco eadem quæſtio à philoſopho pertractatur, necnon Olympiodori expoſitione, vehementius inuehit; affirmans verum id eſſe, quod Orion oriatur, & occidat, ſurgat & occumbat in temporum mutationibus; verum nequaquam in illis, de quibus Theophraſtus verba facit, atq; Alexander eius

ſectator , vt qui minimè verum tempus exortus & occa-
ſus Orionis intellexerint ; verba Vicomercati hæc ſunt.
,, Quem Ariſtotelis locum malè , vt mihi videtur, interpretes
,, omnes, vno dempto Olympiodoro explanarunt ; quippe
,, qui Orionis ortus , & occaſus tempora non recte intellexe-
,, runt; Alex. enim, quem ſecuti ſunt, in mutatione ęſtatis ad
,, autumnum oriri cenſuit , cum potius in veris ad æſtatem
,, mutatione, aut initio æſtatis oriatur, ſiquidem cum Tauro,
,, & Geminis , inter quos ſitus eſt oritur , & quæ ſequuntur,
,, & paulo poſt : Nec verò primus hac in re aberrauit Alexan-
,, der , ſed Theophraſtus prior , quem ille ſecutus eſt , verbis
,, eius ex libro de Vētis commemoratis , in quibus non alium
,, Orionis ortum Theophraſtus tradit. ſiquidem ingreſſu
,, τῆς ὀπώρας , id eſt temporis fructuum colligendorum , quo
,, tempore æſtas feruens receſsit,docuit oriri, eſt enim ὀπώρα
,, ſecunda pars æſtatis, vt in priore libro , ex Hippocrate &
,, Galeno docuimus . & alio in loco paulo inferius , perſpi-
,, cuum autem ex priori quęſtione eſſe poteſt,Orionis ortum,
,, ante autumni initium longè eſſe,quandoquidem Etheſiæ il-
,, lud multo tempore antecedunt,ad quos vſq; Etheſias ab O-
,, rionis ortu tranquillitas eſſe tradita eſt,Alexandrum igitur
,, Theophraſtum & alios erraſſe , qui in mutatione æſtatis in
,, autumnum illum eſſe voluerunt . ex quibus & ſequentibus
etiam, & ex ijs quæ præcedenti commentario dixerat,colli-
guntur quatuor argumenta in Theophraſtum, atq; Ale-
xandrum. Primum ex autoritate Ariſtotelis ſumitur , qui
affirmabat , Orionem naſci in mutatione æſtatis , hoc eſt vt
Vicomercatus exponit in ipſa inclinatione veris in æſta-
tem ; quamobrem videtur ſecus atq; Theophraſtus tempus
aſſignare Orionis exortus. Secunda itidem ratio ſimili fun-
damento nititur ; nam cum voluerit Ariſtoteles , Orionem
elucere ante Etheſias, nullo pacto oriri poterat in mutatio-
ne æſtatis in autumnum ; ſic enim poſt Etheſias, non autem
antea apparuiſſet. Tertia ratio è re ipſa deſumitur, quia
Orion cum ijſdem ſignis oritur , quibus cum ipſe coniun-
gitur , hoc eſt cum extremis Tauri partibus Geminorumq;
,, primis . Nam ita inquit Vicomercatus, ſiquidem cum Tau-

ro &

,, ro & Geminis, inter quos ſitus eſt, oritur: & paulo poſt.
,, Cum autem Orion in veris ad æſtatem mutatione, nempe
,, ſole finem Tauri & initium Geminorum tenente oriatur,
,, occidit profectò in mutatione autumni ad hyemem, ſole vi-
,, delicet Scorpium ingreſſo: qua de re oriri non poteſt in
premutatione æſtatis in autumnum, quemadmodum Ale-
xander, Theophraſtum exponens citato loco ſentit, ſiue
vt Theophraſtus indicauit, cum pars æſtatis feruentior di-
ſceſsit, quod ſignificare videtur hęc vox ὀπώρᾳ vt Vicomer-
catus dicit; verum potius in mutatione ipſa veris in æſta-
tem. Quarta, & vltima argumentatio ſumitur ab intercapi-
dine temporis inter ortum & occaſum vnius cuiuſq; ſyde-
ris; quæ ſex menſium eſt, vt docet Vicomercatus illis in
,, verbis. Illud autem mirandum eſt, cum ab ortu ſyderum,
,, ad eorum occaſum ſex menſes intercedant, quibus ſol ſex
,, Zodiaci ſigna motu ſuo conficit, tres tantum aut circiter,
,, ſeu paulo plures, ab Orionis ortu ad eiuſdem occaſum eſſe
,, tradiderint. Nã ſi Orion autumni initio exortus eſſet, hye-
miſq; principio occidiſſet, tres tantum menſes inter eius
ortum & occaſum interceſsiſſent. Verum quia liberè re-
prehendere Theophraſtum magni ducebat, ſubdidit men-
doſum eſſe locum, atq; pro illa voce ὀπώρας potius legendũ
eſſe θέρους; at maius inſuper eſſe reprehendere Ariſtotelem
arbitratus, qui in problematibus id ipſum ſcriptum reli-
quit, Problematum opus Ariſtotelis eſſe negauit; ex inde
argumentum ſumens, illud eſſe Theophraſti, quod eadem
res iiſdem penè verbis in libello de Ventis pertractetur.
Quamobrem vis totius diſputationis, ad hoc potiſsimum
caput refertur, an Theophraſto ſcribente verè Orion prin-
cipio oporæ exoriretur, quod ita fuiſſe ſecundo huius o-
peris libro oſtendemus; cum primum in hoc priori de or-
tu & occaſu ſyderum generatim verba fecerimus, quomo-
do etiam à Ptolemęo omnes diuidantur explicantes;
quod quidem maximè neceſſariũ eſt ad percipiendam huius
loci explicationem, tum ad aliorum etiam autorũ præſertim
Hippocratis, Ariſtotelis, & eiuſdẽ Theophraſti loca intelli-
genda, quę in hac diſputatione citabuntur: eſt enim Ariſto-
telis

telis regula primo cęli tradita, vſu ab omnibus recepta, vt omne nomẽ, quod multipliciter dicitur, prius diſtinguatur, quo videre poſsimus, qua in ſignificatione accipiẽdum ſit.

*Declarantur ex Ptolemęo ſyderum innerrantium aſpectus, ac ſecus quàm alij fecerint, ipſius mens enarratur. Cap. IIII.*

PTolemęus lib. VIII. Almageſti cap. 4. docet aſpectus fixarum ſtellarum, quos ipſe vocat σχηματισμοὺς, tribus modis accipi (illos præteriens, quibus ſydera inter ſe aſpiciuntur, nec vllo modo mutantur, idcircò ab eodem, μόνιμοι σχηματισμοὶ, immutabiles aſpectus vocati) ſolummodo conſiderans ſtellas, quatenus à nobis referuntur ad alia. nos enim, aut conſideramus fixa ſydera ad ſolem, vel ad lunam, aut ad reliquos quinque planetas, ſeu ad partes Zodiaci relata, vel ſecundo ad terram; vel tertio loco ad vtrunq;. Primum igitur genus aſpectuum à Ptolemæo diuiditur in proprium, & commune; commune vocat, quando ſidus, ſiue planeta ęquè ſunt in vno eorum circulorum, qui tranſeunt per mundi polos; ſiue in diuerſis, dũmodo diſtent inter ſe triangulari, quadrangulari, ſextiliq; aſpectu. proprium verò ad ſydera illa voluit pertinere, ſub quibus planetæ iter facere poſſunt: ſunt autem ſydera hæc collocata, vt ipſe inquit, in Zodiaci priſmate errantiũ penes latitudinem curſus comprehendente. Hoc ſecundum membrum primi generis aſpectuum, proprium à Ptolemæo dictum; duobus etiam modis ab eodem accipitur; ſiue vt ſtellæ, quæ in Zodiaco ſunt, conſiderantur reſpectu quinque planetarum tantum, ſiue etiam reſpectu ſolis, & lunæ: ſi primo modo, huiuſmodi aſpectus à Ptolemæo fieri dicuntur κατὰ τὰς φαινομένας αὐτῶν κολλήσεις ἢ ἐπιπροσθήσεις. Trapezuntius interpretatus eſt, ſecundum apparentes abiectiones, aut coniunctiones: ſi vero ſecundo modo, videlicet ad ſolem, & lunam relatæ, κατὰ τὰς κρύψεις καὶ συνόδους καὶ ἐπιτολὰς, nos commodè interpretari poſſumus, ſecundum occultationes, coniunctiones, & emerſiones. Aſpectuſq; à Grecis κρύψις, à nobis occultatio dictus, tunc fit, vt Ptolemæi

,, lemæi verbis vtar; ὅταν ἄρχηταί τις ὑπὸ τὰς αὐγὰς γινόμενος
,, τῶν φώτων ἀφανίζεσθαι, id eſt quando aliquod ſydus incipit
,, occultari à lumine ſolis & lunæ obrutum. Alter verò συνό-
,, δος dictus, coniunctio à latinis, ὅταν ὑπὸ τοῦ κέντρου αὐτοῦ
,, τὴν ἐπιπρόσθησιν λάβῃ. Quod Trapezuntius interpretatus
,, eſt, quando ſub centro ipſius obijcitur. Eraſmus verò Re-
,, inholdus in Theoricis, quādo in vna linea veluti copulātur
,, ſtella & luminare. Tertius & vltimus græce ἐπιτολή, emer-
,, ſio latinè, ὅταν, inquit Ptolemæus, ἐκφυγὼν τὰς αὐγὰς αὐ-
,, τῶν ἄρχηται φαίνεσθαι, id eſt quando ſtella ſolis, aut lunæ ra-
,, dios fugiens apparere incepit. ſecundum verò genus aſpectuum, quod reſpicit fixa ſydera prout referuntur ad terram tantum, diuiditur à Ptolemæo quatuor modis, hi omnes generali quadam voce à multis, vt ipſe animaduertit, dicuntur, κέντρα, aut ſicut Theon inquit in ſuis commentarijs συγκεντρώσεις, particulatim verò ἀνατολή, id eſt ortus ſtellæ ab orientali orizontis parte, μεσουράνημα ὑπὲρ γῆς, id eſt ſitus ſtellæ eiuſdem in medio cęlo ſupra terram. Δύσις, id eſt occaſus eiuſdem; μεσουράνημα ὑπὸ γῆν, id eſt ſitus ſtellæ in angulo mediæ noctis. Tertium & poſtremum genus aſpectuum communiter acceptum, à Ptolemæo tribus modis diuiditur, ſumiturq; vt ipſe inquit ἀπὸ τῶν συνανατολῶν, ἢ συμμεσουρανήσεων, ἢ συγκαταδύσεων, id eſt cū aliqua ſtella aſcendit vnà cum aliquo planeta, aut parte aliqua Zodiaci angulum orientalem; aut vnà tenet cœli medium, ſiue id ſupra nos ſit, ſiue infra; aut tandem ſimul cadunt ſub orizonte occidentali. Verum ſi hoc ipſum genus propriè ſumamus, reſpicientes ad ſolem, diuidendum erit ſecundum Ptolemæi mentem in nouem modos, quos doctrinæ gratia ſpecies appellabimus, quo res ipſa magis magiſq; illuſtris appareat. ratio autem huius diuiſionis eiuſmodi eſt, quia cum poſſimus conſiderare hos aſpectus iuxta ſolis poſitionem in angulis cœli, tribus tantum modis ipſæ ſtellæ comparari poſſunt cum ſole; quando eſt in orientali angulo, aut in medio cæli (medium enim cœli voco angulum diei medium, noctiſque) vel in occidentali orizonte: paribus etiam modis ſtellæ ſic comparatæ conſiderari poſſunt. Nam ſi ſol exiſtat

in oriente ſtella aut in eodemmet loco erit, aut in cęli medio, aut in occiduo cardine: ſimiliter ſi ſol erit in medio cęli, ſydus eſſe poterit aut in orientali, aut in occidentali orizonte, aut in cęli medio; ac tandem ſi ſol in occidentis angulo erit, & illic ſydus, aut in oppoſito angulo, aut in cęli medio. Concludendum igitur neceſſario erit, quemadmodum iam diximus, ac ſatis ſuperq; clarum eſt, hæc ſydera ſic
,, ſoli comparata, ſpecies nouem aſpectuum efficere, quarum
,, prima à ſitu ſolis, ſtellæq; in oriente vocatur à Ptolemæo
,, πρωϊνὸς ἀπηλιώτης, id eſt ortus matutinus. altera verò ſpecies, quia ſtella eſt in medio cœli πρωϊνὸν μεσουράνημα. hoc eſt matutina mediatio cœli. Tertia autem à loco ſtellæ in angulo contra orientem πρωϊνὸς λίψ, id eſt occaſus matutinus. Quarta verò ſole exiſtente in vno, aut altero cœli medio dicitur μεσημβρινὸς. verum à ſitu ſtellæ in oriente μεσημβρινὸς ἀπηλιώτης, hoc eſt ortus meridianus. Quinta ſpecies cum ſtella ſit cum ſole, μεσημβρινὸν μεσουράνημα, id eſt meridiana mediatio cœli. Sexta verò à ſtella in occidentis angulo μεσημβρινὸς λίψ, id eſt meridianus occaſus. Septima à loco ſolis in occidentali orizonte, ὀψινὸς, verum à loco ſtellæ in angulo oppoſito ὀψινὸς ἀπηλιώτης, id eſt ortus veſpertinus. Octaua autem, quia ſtella eſt in cœli medio, ὀψινὸν μεσουράνημα, id eſt veſpertina mediatio cœli. Nona tandem ab eodem ſtellæ & ſolis loco ὀψινὸς λίψ, id eſt occaſus veſpertinus dicitur. Hæ ſunt inquam nouem ſpecies aſpectuum ſtellarum fixarum cum ſole, ſecundum Ptolemæi opinionem. Verum quia, ipſas ſtellas, ſoli quemadmodum diximus comparatas, tribus modis conſiderare poſſumus; aut quatenus cum ſole iunguntur, aut quia incipiunt à radijs ſolis occultari, aut demum de radijs emergunt: hinc eſt quod à Ptolemæo ſubtiliſsimo, atq; acuratiſsimo artifice hæ nouem ſpecies diuiduntur in octo ſupra quadraginta modos: quanquam ſuis verbis ſolum modos vigintiquinque enumerare videatur, quod quidem eo libentius ſtudioſorũ gratia, qui in hac materia maximè verſantur, animaduertere volui, quominus, ni fallor, quæ fuerit mens Ptolemæi à verſatis in hac diſciplina, haud quaquam percipi

hucuſq;

hucuſq; potuit; cum ſcriptum reliquerint, illum diuidere vnamquamq; ſpeciem ex nouem, tribus modis: quo pactò ſeptem & viginti omnes eſſent, cum tamen, ſi quis diligenter eius verba ponderabit, octo ſupra quadraginta exiſtant; preterquam quod videmus non paruam lucem nos allaturos eſſe multis non ſolum poetarum, cum græcorum, tum latinorum, verum etiam medicorum, philoſophorumq; locis; ſi hanc prouinciam ſuſcipiamus, dilucidius, atq; explicatius enumerandi omnes aſpectuum ſpecies à Ptolemæo poſitas: quorũ ſententia, ni prius harum naturam inſpiciamus, nequaquam aſſequi à nobis poteſt, quemadmodum aliquorum exemplo oſtendemus, nam omnia explanare longum admodum ac difficile eſſet.

*Tres eſſe ſpecies matutini aſpectus ſecundum Ptolemæum oſtenditur. item ex eodem, quomodo occultationes, & emerſiones ſyderum ſint accipiendæ; enarratur locus obſcurus Heſiodi de tempore occultationis Vergiliarum. Cap. V.*

DIcendum eſt igitur, primam ſpeciem, quam ipſe vocat matutinum exortum, tribus modis ab eo diuidi; quorum primus græcè dicitur ἑῴα μὴ φαινομένη ἐπανατολὴ, hoc eſt ortus ſuccedens matutinus non apparens, quia ſtella iam ἀρχόμενη, inquit ipſe, κρύπτειν ποιεῖσθαι, .i. incipiens abſcondi, oritur poſt ſolis exortum; quamobrem configurationem hanc ἐπανατολὴν vocat, hoc eſt ortum ſuccedentem ſolis exortui; qui apparens prius noſtris oculis, ſuo lumine impedit ſtellam, ne videatur, ob idq; aſpectus hic etiam non apparens vocatur, vtpotè in quo minime ſtella cerni queat. Alter vero aſpectus ἑῴα συνανατολὴ ἀληθινὴ, id eſt ſtellę exortus verus matutinus cum ſole vocatur, quia ſydus coniunctũ cum ipſo ſole inuenitur in eodem gradu Zodiaci, quo cum oritur; quem aſpectũ ſupra Ptolemæus σύνοδον appellauit, nos coniunctionem, quia ſtella vna cum ſole ſurgit eodem tempore ſupra orizontem orientalem. Tertius verò modus ἑῴα προανατολὴ φαινομένη, id eſt ortus præcedens matutinus apparens dici-

tur, quia ſtella, vt inquit Ptolemæus, ἀρχόμενη ἐπιτολὴν ποιεῖσθαι, id eſt cum è ſolis radijs exeat, prius in oriente conſpicitur; eiuſmodi eſt emerſio; quamobrem rectè præcedens vocatur, quia ortum ſolis adeo præcedit, vt nequaquam impediri poſsit, quin à nobis conſpiciatur. Verum quis dubius eſſe poſſet circa primum exortus modum, quo pacto verum ſit in eo occultationẽ incipere, quia, cũ ſydus oriatur poſt ſolem, ſiue proximum ſit, ſiue remotum, ſemper ſolis ſplendore obruitur; vt ſemper ſydus videatur occultatum. cui abiectioni ſatisfaciemus reſpondentes occultationem, quam græci κρύψιν vocant, propriè ſumi in fixis ſtellis reſpectu occaſus earum veſpertini apparentis, quem Ptolemæus, vt infra videbimus, vocat ἑσπερίαν ἐπικατάδυσιν φαινομένην, qui fit, quando ſydus radijs ſeſe ſolis inuoluere incipiens occidit poſt ipſum: appelaturq; occultatio, quia ſol proprio motu per Zodiacum ambulans Eclipticæ verſus punctum, cum quo ſtella conſpicitur occumbere, adeo fit ei propinquus, vt ipſa nequeat mox apparere ob ſolis ſplendorem. Id ipſum exemplo aperiã, vt res magis elucęat; Vergiliæ, vt in noſtris tabulis ſupputauimus, Theophraſti ætate in orizonte Athenarum occidebant cũ gr. 29. 1. Arietis; itaq; perſpicuum eſt, ſolem, cũ exiſteret in extremis partibus Piſciũ, atq; in principio Arietis, quemadmodum primi mobilis motu prius oriebatur, ita etiam prius occidiſſe, quamobrem veſperè poſt ipſius occaſum in occidente Vergilię conſpiciebantur; verum quia motu proprio ſol non erat adeo vicinus gradui, quocum illæ cadebant, vnde poſſet occultationis articulus inſtare, vt proprijs ſcientiæ terminis loquar, non erat dicendum adhuc Vergilias occaſu veſpertino apparente occidere. vt igitur ætatis illius homines cognoſcerent tempus, huius aſpectus, quot vè gradus Zodiaci oportebat intereſſe inter Eclipticę punctum cum quo occidebant, ac ſolem, quo poſſet fieri huiuſmodi occultatio; neceſſe erat interuallum occultationis veſpertinæ inuenire: quod quemadmodum inueniatur, luculentiſsimè docet Ioannes de Regiomonte in Tabulis pri-
» mi mobilis in propoſit. 61. qui ita illud definit. interuallum

occul-

„ occultationis eſt arcus Eclipticæ, qui clauditur inter ſo-
„ lem, & ſtellam occultari incipientem. Interuallum igitur veſpertinę occultationis Vergiliarum, vt notauimus in noſtris tabulis, erat grad. 16. 45. Igitur quando ſol tantũ aberat à puncto occaſus Vergiliarum, veſpertinus occaſus earum erat; quod contingebat cum ſol grad. 12. 16. Arietis percurreret. nam cum per id temporis Vergiliæ lumine ſolis venirēt occultandæ, ſolq; adeo illis eſſet ſequētibus diebus appropinquandus, vt veſperè ab eius lumine tectæ, cerni nequaquā poſſent in occidente poſt illius occaſum; tunc occaſus veſpertinus apparens earũ efficiebatur. Verũ quia Ptolemæus docet in articulo occultationis alicuius ſtellæ, fieri etiam ſuccedentem exortum matutinum non apparentem, hinc habemus eodem tempore, quo fit occaſus ſuccedens veſpertinus apparens; fieri etiam, vt ipſe docet, ortũ ſuccedentem matutinum non apparentem: idcircoq; optimè eum dixiſſe huiuſmodi aſpectum accidere, quoties ſtella incipit occultari. ex quibus etiam habemus ſuccedentē exortum matutinum non apparentem dependere, vt Ptolemæus vult, ab occaſu veſpertino apparente, cum ordine naturæ hic prior ſit illo. Iam verò quemadmodũ hi duo aſpectus terminantur interuallo veſpertinæ occultationis, ita etiam & exortum pręcedentem matutinũ apparentem, tertium modum huius primæ ſpeciei, metitur interuallum matutinæ apparitionis, quod vt citato loco inquit Regiomon-
„ tanus, Arcus Eclipticæ eſt ſoli, & ſtellæ primum apparen-
„ ti interiacens; ob idq; hic aſpectus ἐπιτολὴ gręce dictus eſt, hoc eſt emerſio è ſolis radijs, quia ſydere primi mobilis motu ante ſolem exoriente, ipſe ſol motu proprio adeo à puncto, cum quo ipſum oritur, remouetur, vt ſuo ſplendore minimè impediatur, quominus commodè illud conſpiciamus; quod antea minimè eueniebat, cum à tempore occaſus veſpertini apparentis, aut quod idem eſt, ab exortu ſuccedente matutino non apparente, vſq; ad exortum præcedentem matutinum apparentem, ſydus lumine ſolis tectum oculis notari non poſſit, quod vt clarius fiat eodem Virgiliarum exemplo oſtendam. notauimus in noſtris tabulis, eas Theo-

phraſti ætate oriri ſupra orizontem Athenarum cum partibus. 19. 37. Arietis, pariq; modo interuallum apparitionis earum matutinæ tunc fuiſſe poſuimus partium 37. 43. exinde colligimus ſolem ingredientẽ grad. 27. 24. Tauri tantum abeſſe à gradu, quo cum ipſę oriebantur, vt apparitionis articulus inſtaret. Quamobrem eo temporis puncto ortus earum matutinus apparens exiſtebat, ipſæq; in puncto emerſionis erant, quia manè ante ſolem exorientes, ſic in ſignifero diſtabant ab eo, vt facile conſpici poſſent, iam iam è ſolari lumine exeuntes. Exortus autem earum ſuccedens matutinus non apparens, incipiebat, vt iam vidimus, cum ſol exiſteret in grad. 12. 16. Arietis, quo tempore etiam occaſus veſpertinus earum apparens contingebat; eodemq; temporis puncto ſeſe occultare incipiebant, hoc eſt adeo ſol motu proprio ad gradum, quo cum ipſæ cadebant, appropinquabat, vt eas occultans ſuo ſplendore, minimè conſpici permitteret; quod accidere poterat die quarta, aut quinta Aprilis: ex quo intelligimus toto illo tempore, quo ſol decurrebat à grad. 12. 16. Arietis, vſq; ad gradum 27. 24. Tauri, Vergilias lumine ſolis tegi, quod erat à die quinta Aprilis, vſq; ad decimam octauam Maij, nimirum circiter 43. dies. quod cum verum ſit, facile poſſumus nunc percipere, quid Heſiodus oſtendere voluerit primis illis carminibus 2. lib. de dieb. & operib. haud ſatis rectè, vt mea quidem fert opinio, à Proclo, & Tzetze, atq; à Moſcopolo declaratis, quaue ratione ita cecinerit.

Πληϊάδων Ἀτλαγενέων ἐπιτελλομενάων
Ἄρχεσθ' ἀμητοῦ, ἀρότοιο δὲ, δυσσομενάων.
Αἳ δὴ τοι νύκτας τε καὶ ἤματα τεσσαράκοντα
Κεκρύφαται. .i.
Pleiadibus Atlante natis exorientibus
Incipe meſſem, arationem verò occidentibus.
Hæ quidem noctesq; & dies quadraginta
Latent.

Cum ſatis clarum ſit, nil aliud docuiſſe, niſi tempore ortus præcedentis matutini apparentis Vergiliarum, principium æſtatis apud antiquos, meſſem faciendam eſſe, tempore vero oc-

rò occaſus præcedentis matutini apparentis, hyemis principium, arandum. has verò Vergilias 40. diebus occultari, quia ſolare lumen ortu ſuccedente matutino non apparente ingrediẽtes, ibi tàmdiù erãt, quàmdiù à ſole relictę, emerſionem facerent, quod erat ſpacium 40. dierum, vt iam vidimus; quæ res haud quaquam percipi poterat, niſi prius ea, quæ à me ſupra tradita ſunt, rectè percipiantur. Verũ enimuerò ad noſtra redeuntes, tertius modus huius ſpeciei præcipuè vſu eſt apud Philoſophos, atq; Medicos; qui quotieſcunq; de alicuius ſyderis ortu verba fecere, hunc ipſum intellexerunt, quemadmodum ab ipſa voce, ἐπιτολή, cuius frequens apud illos eſt vſus, percipitur ex locis à nobis ſupra allatis Hippocratis & Ariſtotelis: clariſsimæq; ſunt apud poetas cum Pleiades, tum Canicula, & Arcturus, ob hunc aſpectum; quocirca Vergilius eiuſmodi ortum intelligens, ita cecinit primo Georg. de Arcturo.

" At ſi non fuerit tellus fœcunda ſub ipſum
" Arcturum, tenui ſat erit ſuſpendere ſulco.

In quarto verò de Pleiadibus imitans, ni fallor, citato loco Hæſiodum.

" Bis grauidos cogant fœtus: duo tempora meſsis.
" Taygetæ ſimul os terris oſtendit honeſtum
" Pleias, & oceani ſpretos pede repulit amnes.
" Aut eadem ſydus fugiens, vbi Piſcis aquoſi
" Triſtior hybernas cœlo deſcendit in vndas.

Tertio verò Aeneidos de Sirio.

" Linquebant dulces animas, aut ægra trahebant
" Corpora: tum ſteriles exurere Sirius agros.
Arebant herbæ, & victum ſeges ægra negabat.

Quo in loco non aſſentior Seruio, qui exiſtimauit Canis exortum eſſe circa VIII. Kal. Iulij.

*Declarantur modi ſecundæ ſpeciei, ex eodem Ptolemæo. Heſiodi carmina de Sirio explicantur. Procli, Tzetzis, ac Moſcopoli reijcitur explanatio. Cap. VI.*

SEcunda verò ſpecies eſt, quæ locum habet, quando ſol eſt in orientali angulo, ſydus verò in meridionali circulo,

culo, aut ſupra, aut infra terram conſtitutum: quæ ſex modis accipitur: Nam cũ ſydus ſupra terram ſit in cęlo medio, tribus modis ad ſolem comparari poterit, primum enim efficit aſpectum illum, quem Ptolemæus appellat ἑῷον ἐπιμεσουράνημα μὴ φαινόμενον, id eſt matutinam ſuccedentem mediationem cœli non apparentem; quia ſydus paulo poſt exortum ſolis attingit circulum noſtrum meridianum; ſecundus verò vocatur, ἑῷον συμμεσουράνημα ἀληθινόν, id eſt matutina vera mediatio cœli, quæ fit quando eodem temporis puncto, quo ſol oritur, ſydus meridianum angulum percurrit. tertius verò ἑῷον προμεσουράνημα φαινόμενον, id eſt matutina præcedens mediatio cœli apparens, quod euenit quotieſcunq; ſtella paulo ante ſolis exortum tenet dictũ locum. tres alios itidem ſimiles aſpectus faciet, quando in mediæ noctis angulo ſydus reperietur, qui rectè à Ptolemæo dicti ſunt, μὴ φαινόμενοι, non apparentes, quòad nos, quia cum tellus interiaceat inter ſtellam viſumq; noſtrum minimè cerni à nobis poteſt. Ex tertio modo huius ſpeciei explicatam habemus ſententiã Hęſiodi duobus in locis hucuſq; quod viderim non obſeruatis; inquit enim ſic, cum docet tempus aptum incidendi lucus.

Ημος δὴ λήγει μένος ὀξέος ἠελίοιο
Καύματος ἰδαλίμου, μετοπωρινὸν ὀμβρήσαντος
Ζηνὸς ἐρισθενέος, μετὰ δὲ τρέπεται βρότεος χρὼς
Πολλὸν ἐλαφρότερος (δὴ γὰρ τότε σείριος ἀστὴρ
Βαιὸν ὑπὲρ κεφαλῆς κηριτρεφέων ἀνθρώπων
Ερχεται ἠμάτιος, πλεῖον δὲ τε νυκτὸς ἐπαυρεῖ)
Ημος ἀδηκτοτάτη πέλεται τμηθεῖσα σιδήρῳ
Υλη φύλλα δ᾽ ἔραζε χέει, πτόρθοιό τε λήγει
Τῆμος ἄρ ὑλοτομεῖν μεμνημένος ὥριον ἔργον.

» Quum itaq; iam deſinit robur acuti ſolis,
» A calore humido per Autumnum, pluente
» Ioue præpotente, mutatur humanum corpus
» Multo leuius (nam tunc Syrius ſtella,
» Pauliſper ſupra caput fato obnoxiorum hominum
» Venit interdiù, magis autem noctè fruitur)
» Quando incorrupta eſt cæſa ferro

Sylua

Sylua, folia autem humi fundit ab ramiſq; ceſſat,
Tunc ſanè ligna ſecato memor tempeſtiui operis

Quem locum exponens Proclus, accipit Syrium pro ſole ipſo, ita inquiens in ſuis commentarijs, vt nos interpretamur: & ipſe ſol, quem vocauit Syrium, ob ſpeldorem; nam & τὸ σειρίχειν hoc manifeſtat, quoniam non amplius ſuper terram multo tempore fertur, ſed minorem diem efficit, ſuper terram exiſtens, diutius autem ſub terris commoratur, & maiorem noctem reddit. illud enim magis nocte frui, valet, maiorem noctis partem aſſumere, quia maiorem ſol ipſum efficiat. Cum igitur iam hæc omnia contingant, ſcilicet æſtus fiat remiſsio, autumnales aquæ cadant, humanorum corporum ſuccedat refrigeratio, dies decreſcere incipiant, noctes augeri; tunc materiam cædere oportet, incipiente nimirum poſt æſtatem autumno, ac folijs decidentibus. Hanc opinionem ſecutus eſt Tzetzes, ac Moſcopulus, qui ſimul affirmarunt Heſiodũ ſupra allatis carminibus Syrium pro ſole accepiſſe. Verum alia mihi mens eſt, exiſtimanti potius poetam voluiſſe ſignificare tempus aptum excidẽdorum nemorum ex aliquo cœli aſpectu, idq; vt moris erat, feciſſe ex tertio huius ſpeciei modo, de quo nunc verba facimus; hoc eſt ex matutina præcedente mediatione cœli apparente Caniculæ. vult enim docere, in principio autumni; quo tompore maximus ſolis æſtus deficit, Syriuſq; ἠμάτιος, id eſt in die; nimirum, vt nos interpretamur, illuceſcente iam die ὑπὲρ κεφαλῆς ἀνθρώπων ἔρχεται, id eſt fertur ſupra caput hominum, videlicet in angulo medij cœli reperitur, appoſitè ab Hæſiodo expreſſo his verbis, ὑπὲρ κεφαλῆς (quod idem eſt ac ſi dixiſſet, cũ Canicula matutinam præcedentem mediationem cœli facit) tempus aptiſsimum eſſe cædendorum nemorum. quodq; hæc ipſa vera ſit huius loci explicatio, probatur autoritate eiuſdem Hæſiodi paulo infra, vbi coniungit Canem cum Orione, de huius ſyderis aſpectu verba faciens, deq; Arcturi exortu matutino apparente: quod idem eſt, ac ſi dixiſſet, initio autumni, qui vt notum eſt omnibus, apud antiquos huius ſyderis ortu inchoabat, Orionem, & Canem in medio cęlo extitiſſe;

titiſſe;

titiſſe; quo in loco ſatis clarum eſt, nullo pacto Sirium, poſſe ſignificare ſolem, poſtquam Hæſiodus nequaquam cũ Orione illum coniunxiſſet; præterquam quod compertiſſimum eſt omnibus nullo pacto illum potuiſſe cœli medium tenere, ſi eodem temporis puncto ortus matutinus Arcturi erat; carmina Hæſiodi hæc ſunt.

Εὖτ' ἂν δ' ὠρίων καὶ Σείριος ἐς μέσον ἔλθῃ
Οὐρανὸν, Ἀρκτοῦρον δ' ἐσίδῃ ῥοδοδάκτυλος Ἠὼς
ὦ Πέρσῃ τότε πάντας ἀπόδρεπε οἴκαδε βότρυς.
,, Quum verò Orion, & Sirius in medium venerit
,, Cęlum, Arcturũ autem inſpexerit roſea digitis Auroræ
,, O Perſa, tunc omnes decerpe domum vuas.

In quibus luce clarius conſpicitur, illum accipere matutinã mediationem cœli apparentem Orionis & Caniculæ: nam quemadmodum notarunt Moſcopolus, & Tzetzes, ac optimè quidem, illa verba ἐς μέσον ἔλθῃ οὐρανὸν idem ſignificant ac μεσουρανίσῃ, quod nil aliud dicit, niſi quod parum ante ſolis exortum Orion & Sirius cœli medium tenebant; neq; nos moueat, ſydera hæc minimè ſimul ſupra orizontem euehi, ac ſi minimè poſſent ſimul eſſe in cœli medio, quia ſicuti docet Ptolemæus 4. cap. 8. Almageſti, in recta ſphera illa ſydera, quę ſimul ſunt in cœli medio vna etiam oriũtur, & occidunt; ſecus verò in obliqua, cum eadem poſsint eſſe in cœli medio; quamuis oriantur & occidant diuerſis temporibus: quod Heſiodum non latuit. quod vero hic poeta, primo etiam loco Sirium pro ſole non poſuerit, ſatis ſuperq; ex ſuis verbis elicitur, cum ipſe dicat Sirium in cœli medio eſſe, quando ſolis æſtus deſijt; quibus apertè oſtendit, differre inter ſe ſolem, & Sirium; præterquam quod inſulſa fuiſſet elocutio, dicere Sirium (ſi hæc vox ſolem ſignificaſſet) ferri in die ſuper caput hominum: cum nemo ſit, qui non ſciat, cum ſol diem afferat ſuo lumine, non niſi de die ſupra nos ferri: ex quibus clarum eſt iuſta de cauſa Heſiodum addidiſſe vocem ἠμάτιος, vt oſtenderet Sirium in cœli medio tunc interdiu fuiſſe, hoc eſt vt opinor, ineunte die, quia poſſet aliàs contingere, eodem in loco nocte ſiue prima, ſiue media eſſe, iuxta ac ſol, ſiue in occidente, ſiue

in noctis

„ in noctis angulo eſſet. neq; contra nos faciunt verba, quæ „ Proclus adducit, magis nocte fruitur; ac ſi Hæſiodus diceret, ſolem ipſum frui magis nocte, quia tunc nox maior ſit die; nam ſi hæc verba ad Canem referamus, dicendum erit, vt reor, eo magis ſydus hoc nocte frui, quo magis noctu, quàm interdiu eſſet ſuper terram; nam cum ſecundum primi mobilis motum prius Canis eſſet in orientali horizonte, quàm ſol in medio noctis angulo; noctu ſupra terram erat, vſq; ad ſolis exortum, quo tempore cum iam pertranſiuiſſet angulum medij cœli, perſpicuum eſt antea occidiſſe, quàm ſol medij cęli angulū attingeret, idcircò plus noctu, quàm interdiu ſupra noſtrum hemiſphærium eluxiſſe. vt propterea magis eum noctè frui diceret poeta.

*Tertia ſpecies ad octauam vſq; enarratur. Ouidij locus exponitur. & obſcuriſſima quædam Arati carmina de Heſperijs Vergilijs declarantur. Cap. VII.*

TErtia ſpecies, quę matutinus occaſus dicitur, tripartita eſt, cū tribus tantum modis accipi poſsit, iuxta ac ſydus occidens cum oriente ſole comparari poteſt. primus igitur aſpectus erit, quem Ptolemæus, ἑῴαν ἐπικατάδυσιν μὴ φαινομένην vocat, id eſt matutinū ſuccedentem occaſum non apparentem, qui fit cum ſtella deliteſcit orto iam ſole. alter vero ab ipſo vocatur, ἑῴα συγκατάδυσις ἀληθινὴ, id eſt matutinus occaſus verus, quando ſtella occultatur eodem puncto, quo ſol oritur. tertius verò, ἑῴα πρόδυσις φαινομένη. hoc eſt occaſus præcedens matutinus apparens: qui aſpectus locum habet, cum paulo poſt ſtellæ occaſum, ſol in oriente apparet. de hoc tertio modo, cum Philoſophi, tum Medici locuti ſunt ſigillatim, cum de occaſu alicuius ſyderis mentionem fecere; ac inter hos, atq; inter Poetas, claræ ſunt ob hunc aſpectum Vergiliæ, quocum hyberni temporis initium deſcribebant, quemadmodum ſupra dictum eſt. Quarta denique ſpecies, quæ à ſitu ſolis in circulo diei medio ſiue noctis, ac ſtellæ in angulo orientali ortus meridianus vocatur, ob id à Ptolemæo primum

diuiditur in duos modos generatim, quorum vnum vocat
ipſe, ἡμερινὸν, καὶ μὴ φαινόμενον, id eſt ortum meridianum
diurnum non apparentem, quia ſtella oritur tunc, cum ſol
in meridie eſt; idcircò lumine ſolis obruta minimè cerni
poteſt: alterum verò vocat, νυκτερινὸν καὶ φαινόμενον, id eſt
nocturnū, & apparentem: quia cum ſol exiſtit in angulo me-
diæ noctis, ſtella apparet in oriente. Deinde quia vtro-
rumq; conſideratio eſſe poteſt tribus modis, quemadmo-
dum & ſupra alij aſpectus conſiderati ſunt, in ſex modos
rurſus diuidi poteſt, quos omnes enumerare, ne longus ſim,
prætermitto; cum ſatis ſuperq; per ſe noti ſint; hoc tantū
adijciens ad ſecundum modum Ariſtotelis verba illa cap. 9.
» p. Meteoron pertinere, quibus ſic loquitur. ὁτὲ μὲν γὰρ μέ-
» σων νυκτῶν ὁ δελφὶς ἀνατέλλει, ὅτε δ' ἕωθεν, id eſt aliquando
» enim medijs noctibus Delphin oritur, aliquando diluculo:
vt hinc ſatis eluceat, omnes harum omnium ſpecierum mo-
dos veteres obſeruaſſe. Quinta verò ſpecies, quam vocant
meridianam cœli meditationem, in plures adhuc partes à
Ptolemæo diuiditur, ſi quis diligenter eius verba perpen-
derit; nam ſol, & ſtella poſſunt eſſe primum in meridionali
angulo, tum poteſt ſtella locum huic oppoſitum tenere, qui
duo modi à Ptolemæo, ἡμερινοὶ καὶ μὴ φαινόμενοι, id eſt diurni
non apparentes vocantur; quia fiunt tunc, cum nobis me-
dia dies eſt; tertio ſol, & ſtella poſſunt eſſe in medio noctis
angulo; quarto item ſtella in loco oppoſito, qui duo modi à
Ptolemæo, νυκτερινοὶ, id eſt nocturni vocantur. quorū primus
νυκτερινὸς μὴ φαινόμενος appellatur, quia ſol & ſydus ſunt in
angulo terræ, abſconditiq; à noſtris occulis. νυκτερινὸς καὶ
φαινόμενος alter, quia cum nox medium iter habeat, ſtella in
cœli medio emineat, ac ſplendeat; quocirca his quatuor
modis conſideratis ſecundum tres iam expoſitos modos, vt
ſupra dictum eſt, perſpicuum eſt, hanc quintam aſpectus
ſpeciem modis duodecim ſumi poſſe. ſexta verò ſpecies,
quæ dicitur occaſus meridianus, in ſex modos diuiditur;
quorum tres primi à Ptolemæo, ἡμερινοὶ καὶ μὴ φαινόμενοι,
dicti ſunt, hoc eſt diurni nequaquam apparentes; quia tunc
ſydus occidit, cum ſol medium diei iter peragit. tres verò

alij νυκτερινὸι καὶ φαινόμενοι, id eſt nocturni apparentes, quia cum ſol medium noctis affert, ſydus occidat. ſeptima verò ſpecies veſpertinus exortus vocata, tribus tantum modis cõſiderari poteſt; nam aut ſtella oritur poſt ſolis occaſum, id à Ptolomæo ἑσπερία ἐπανατολὴ φαινομένη, id eſt ortus ſuccedens veſpertinus apparens vocatur; aut cum ſol occidit inſtante puncto eodem ſydus conſpicitur, quod ipſe dixit ἑσπερίαν συνανατολὴν ἀληθινήν, id eſt ortum veſpertinũ verũ; aut ſurgit ſupra horizontem orientalem, paulo antea quàm ſol occumbat, quem aſpectum Ptolemæus vocauit ἑσπερίαν προανατολὴν μὴ φαινομένην, id eſt ortum præcedentem veſpertinum non apparentem. Primus huius ſpeciei modus illuſtrat nobis illa Ouidij carmina primo de Ponto in nona elegia ad Seuerum.

Vt careo vobis Scyticas detruſus in oras,
Quatuor Autumnos Pleias orta facit.

In quibus dicendum eſt, Poetam verba facere de ortu ſuccedente veſpertino apparente Vergiliarum; qui tunc temporis erat, quando ſol primas Libræ partes attingebat. (nã tunc Vergiliæ oriebantur vna cum vltimis Arietis partibus) quamobrem neceſſe erat, ſi conſpici debebant in oriente poſt ſolis occaſum, vt ipſe ſol ad primas Librę partes accederet, ex quo & iure meritò Ouiduis affirmare poterat, cum oriebantur, efficere, hoc eſt quartum Autumnum incipere ex quo exulabat. Quapropter Columella, qui ferè eodem tempore vixit lib. XI. cum dixiſſet XIII. Kal. Oct.
„ ſol in Libram tranſitum facit; ſtatim ſubiungit VI. id.
„ Octob. Vergiliæ exoriuntur; loquitur enim, ni fallor, de
„ ſecundo modo huius ſpeciei, hoc eſt de ortu vero veſpertino; idcircoq; ſolem ponit in vltimis Libræ partibus oppoſitis puncto, quocum ſimul Vergiliæ exoriebantur. germana rurſus quorundam carminum Arati intelligentia ex tertio modo habetur, quæ ſecus expoſita, mea quidem ſententia, inexplicabilibus ſubijciuntur oppoſitionibus. Hæc Aratus de Vergilijs.

*Αἱ μὲν ὁμῶς ὀλίγαι, καὶ ἀφεγγέες, ἀλλ᾽ ὀνομασταὶ*
*Ἠρι καὶ ἑσπερίαι, Ζεὺς δ᾽ αἴτιος, εἱλίσσονται:*

 Os φι-

Oἵ φισι καὶ θέρεος καὶ χείματος ἀρχομένοιο
Σημαίνειν ἐκέλευσεν, ἐπερχομένου τ᾽ ἀρότοιο.
Hæ quidem ſimul modicæ & obſcuræ: tamen celebres
Mane,& veſpertinæ ( Ioue autore ) circumaguntur:
Qui eis æſtatem & hyemem inſtantem
Significare præcepit, aduenientemq; arationem.

Quo in loco cum dicat Vergilias ἑσπέριας, vt eius verbis vtar, ſignificare nobis hyemis initium, videtur de veſpertino aſpectu verba facere, qui cum eſſe poſsit, aut ortus, aut occaſus; dici non poterit, ipſum de occaſu intellexiſſe; nam cum Vergiliarum occaſus veſpertinus ſit, quando ſol cum illis eſt ſimul coniunctus, ipſæ vero occiderent ætate illa cum partibus 29. 1. Arietis, perſpicuum eſt hyemis initium eſſe non poſſe, cum ſol locũ illum tenet: neq; multo antea, neq; poſt. Dicendum igitur erit Aratum accipere ortũ veſpertinũ; hunc autem aut verum, aut apparentem accipiamus, nequaquam hyemem facere potuiſſe dicendum eſt: nam ſi ortus veſpertinus verus ſit, vt jam dictum eſt, quando ſtella opponens ſe ſoli oritur eodem puncto, quo ipſe cadit, Vergiliæq; Arati tempore ſupra horizontẽ Athenarum exoriebantur, cum partibus 19. 37. Arietis, conſequens erit, cum ſol in oppoſito loco exiſteret, hoc eſt in partibus 19. 37. Libræ talem aſpectum factum fuiſſe; quo tempore, quis non videt nequaquam hyemem eſſe, verum autumnum? quod ſi dicere voluerimus Aratum accipere ortum apparentem, qui multo antea erat, hoc eſt cũ ſol exiſteret in partibus 11. 50. Virginis, quemadmodum interuallum matutinæ apparitionis deductum à loco oppoſito, quocum Vergiliæ oriebantur, oſtendit; id magis, ac magis falſum eſſe conſtabit: cũ huiuſmodi Vergiliarũ aſpectus autumnum potius, quàm hyemem incipiat. Auget dubitationem in Aratũ, id etiam, quia ipſe de prognoſticis agens eadem repetit dicens.

Αὐτὰρ ὅτε σφῆκες μετοπωρινὸν ἤλιθα πολλοὶ
Πάντῃ βεβρίθωσι, καὶ ἑσπερίνων προπάροιθεν
Πληϊάδων, εἴποι τις ἐπερχόμενον χειμῶνα, &c.

Sed cum Veſpæ autumni tempore glomeratim multæ

Paſsim

,, Paſsim conſtipatæ fuerint etiam veſpertinas ante
,, Pleiades, dixerit quis ſubſecuturam hyemem,&c.
Quo in loco Theon, quemadmodum in alio etiam ſupra citato, eandem ſententiam ſequi videtur, cum in expoſitio-
,, ne primi loci dicat, vt ego interpretor. Manè igitur dilu-
,, culum, id eſt ortum ait; diluculo enim exoriuntur vna cum
,, ſole Taurum tenente vigeſimaquinta die menſis Pharmothi,
,, qui eſt apud Romanos Aprilis, tunc enim tempus eſt meſ-
,, ſis apud Aegyptios. Veſpertinæ autem veſperè oriuntur
,, ſole ad Scorpiũ deiecto, menſe Athir, qui Romanis eſt No-
,, uember, quod tempus eſt arandi: tũc enim veſpertinę ſunt,
,, quoniam veſperè exoriuntur. Et in expoſitione ſecundi. &
,, ante veſpertinum Pleiadum ortum oportet hyemem præ-
,, uidere; dictum eſt autem prius, quod veſpertinus Pleiadum
,, ortus hyemem affert; illud igitur, veſpertinas ante Pleia-
,, des, valet Pleiadibus veſperè exorientibus, matutino enim
,, æſtate exoriuntur. Ex quo loco habemus Theonem ſenſiſſe, Aratum veſpertinum exortum Pleiadum hyemem incipere voluiſſe, cum tamen omnes antiqui tradant, occaſum earum matutinum apparentem principiũ eſſe hyemis; quod quidẽ alibi Aratus expreſſè docuit, veluti illis carminibus.

μάλακεν τότε χείμαρον αὐταὶ
Πληϊάδες χειμῶνα κατερχόμεναι φορέοιεν. id eſt.
Valde tunc tempeſtuoſam ipſę
Pleiades hyemem occidentes afferre ſolent.

Quem locum, vis magna veritatis Theonem impulit, ſic ex-
,, ponere. Pleiades hyemem &c. Diximus ſuperius, quod
,, autumnales exoriuntur Pleiades; ipſæ igitur occidentes
,, hyemem adducunt. quibus verbis innuere videtur ortum veſpertinum fuiſſe in autumno; fateturq; perſpicuè earum occaſum matutinum hyemẽ incipere, quod clarè alibi dixit
,, his verbis; ſumendum igitur, quod menſe Pharmoti manè
,, exoriuntur ineunte æſtate, manè verò occidunt menſe At-
,, hir hyeme incipiente. itaq; ſi dicamus, occaſum matutinum apparentem Vergiliarum incepiſſe hyemem; quod Arati ſeculo contingebat ſole 15. 46. Scorpionis gradum attingente, id maxime erit conſentaneum; at aſſerere earumdem ortum

tum veſpertinum idem feciſſe, ſi accipiamus, verum, aut apparentem, res profectò eſt contraria ſenſui: nam vnus eueniebat, vt dictum eſt, quando ſol erat in partibus 19. 37. Libræ: alter verò cum ſol Virginem percurrebat; quamobrem nullo modo hyemis principiũ indicare poterant. neceſſarium erit igitur fateri, quemadmodum ſupra dictũ eſt, Aratum, cum dixit, ἠεὶ καὶ ἑσπέριαι, accepiſſe vocem ἑσπέριαι loco tertij modi huius ſpeciei, qui eſt ortus præcedens veſpertinus non apparens Vergiliarum; nam cum talis eſſet aſpectus, quando ſol pertranſibat Scorpionem, appoſitè hyemis principiũ ſignificare poterat: ac forſan etiam Ouidius carminibus ſupra citatis de hoc eodẽ aſpectu verba fecit, quo caſu intelligere voluit Vergilias earum exortu veſpertino incipientes hyemem, quartum ſui exilij autumnũ explicuiſſe. ex his autem manifeſtum quàm verè Lambinus in Coment. in lib. 4. carminum Horatij ode 14. dixerit veſpertino Pleiadum ortu, qui eſt à Kal. Octob. vſq; ad V. Idus Nouemb. hyemem nunciari, idq; pueris eſſe notum; cum ſatis obſcurum ſit, vt ex ſuperioribus conſtat, quo modo veſpertinæ Pleiades tunc hyemem inchoare poſſent, ac longè prætерea abhorreat à ratione, veſpertino Pleiadum ortui tot dies dedicare, cum veteres omnes huius aſtri aſpectus vno tantum die confici ſcripſerint. Quinetiam & dicere poſſemus, aliter verba Arati accipientes, vocẽ ἑσπέριαι poſitam fuiſſe ab eo ad ſignificandum potius occidentis angulum, earumq; occaſum, quàm orientalem angulum & ortum Vergiliarum: nam quemadmodum aliqui græcæ linguæ periti ſsimi ſcripſere, hæc vox non ſolum tempus ſignificat veſpertinum, ſed ipſum occaſum, partemq; illam cœli occidentalem; quod perſpicitur, vt de his aliquod exemplũ afferam, ex illis verbis Apollodori libro p. ſuæ Bibliothecæ, vſu eſſe apud græcos, cum de Typhone dicat
„ χεῖρας δὲ εἶχε τὴν μὲν ἐπὶ τὴν ἑσπέραν ἐκτεινομένην, τὴν δ' ἐπὶ
„ τὰς ἀνατολάς, hoc eſt, ſed & eiuſdem manuum altera ad oc-
„ cidentem vſq; & altera ad orientem pertinebat. hic enim clarum eſt vocem ἑσπεράν, poſitam eſſe pro parte, ſiue angulo occidentali: hinc forſan Theon exponens illud carmẽ,

videtur

" videtur eam interpretari eodem modo dicens, ὀλίγας αὐτὰς
" φησὶ διὰ τὸ ἐξ ἀμυδρῶν συγκεῖσθαι ἀςέρων. ὀνομάςαι δὲ ὅμως
" καὶ ἐπίδοξοι διὰ τὸ καὶ τὴν ἀνατολὴν αὐτῶν καὶ τὴν δύσιν πρὸς
" ἀναγκαῖον εἶναι τοῖς ἀνθρώποις. ἐπιτελλομενῶν γὰρ τοῦ ἀμήτου
" ἄρχεσθαι χρή. δυομένων δὲ τοῦ ἀρότου, &c. id eſt Modicas
" ipſas dicit, quoniam ex obſcuris ſtellis cõpoſitæ ſunt, cele-
" bres tamen, ac illuſtres propterea quod earum ortus, & oc-
" caſus neceſſarius ſit mortalibus, etenim exorientibus ipſis
" meſſem, occidentibus verò arationem incipere oportet.
Quibus verbis perſpicitur Theonem loco vocis, ἑσπερίαι, ponere vocem, δύσιν hoc eſt occaſum: quamobrem forſitan erit dicendum, quòd quemadmodum Aratus alio in loco improprie vſus eſt illa voce, ἀκρονύχος, vt videbimus, quam matutinum tempus ſignificare voluit; ita etiam, vt mos eſt poetarum, haud proprie accipiens vocem, ἑσπέριαι, quæ tempus veſpertinum declarat, ea ad occaſum matutinum, & matutinum tempus exprimendum vſum fuiſſe.

*Modi reliquarum duarum ſpecierum, octauæ ſcilicet, & nonæ ex eodem Ptolemæo aperiuntur; oſtenditurq; alios autores in tradendis ortus & occaſus ſpeciebus à vera Ptolemæi ſententia deuiaſſe. Cap. VIII.*

OCtaua ſpecies, quæ veſpertina cœli mediatio venit appellanda, ſex modos habet; quorum primi tres fiunt, ſtella in angulo medij cœli, & ſole in occidente locato. alij verò tres ſpectantur inter ſydus in mediæ noctis angulo conſtitutum, & ſolem in occaſu: quorum omnium primus modus à Ptolemæo, ἑσπερινὸν ἐπιμεσουράνημα φαινόμενον, vocatur, hoc eſt veſpertina ſuccedens mediatio cœli apparens, quia ſtatim poſt ſolis occaſum ſtella in cœli medio fulgeat: ſecundus verò, ἑσπερινὸν συμμεσουράνημα ἀληθινόν, id eſt veſpertina mediatio cœli vera, quòd eodem puncto, quo ſol cadit ſub orizonte, ſtella percurrat cœli medium: tertium verò proprium hoc nomen ſignat, ἑσπερινὸν προμεσουράνημα μὴ φαινόμενον, id eſt veſpertina præcedens mediatio cœli non apparens; quippe

quia ſydus locum illum teneat ante ſolis occaſum. Tribus verò alijs modis, cum ſydus ſit in mediæ noctis angulo, manifeſtum eſt nos non poſſe eius affectiones videre. Nona verò, atq; vltima ſpecies veſpertini occaſus nomine ſignata, in tres tantum modos ſecatur, quorum primus à Ptolemæo, ἑσπερία ἐπικατάδυσις φαινομένη, id eſt occaſus ſuccedens veſpertinus apparens dictus fuit, qui fit quando ſtella, vt in-
» quit Ptolemæus, ἀρχομένη κρύψιν ποιεῖσθαι, id eſt incipiens occultari, cum ſole in eodem angulo paulo poſt eius occaſum occumbit; quo etiam modo intelliguntur fixorum ſyderum occultationes, vt ſupra dictum fuit. ſecundus verò
» ἑσπερία συγκατάδυσις ἀληθινή, id eſt veſpertinus occaſus ve-
» rus, quando vna cum ſole ſub horizontem deſcendit. tertius verò, ἑσπερία πρόδυσις μὴ φαινομένη, hoc eſt occaſus præcedens veſpertinus non apparens, quia ſydus, vt inquit, Ptolemæus, ἀρχόμενον ἐπιτολὴν ποιεῖσθαι, id eſt cum emergere incipit, ante ſolis occaſum ſub horizontem cadit. Itaque ſi quis velit attentè conſiderare, ex ijs quæ poſita ſunt, omnes aſpectuum modos à nobis expoſitos, conijciet ſpecies cunctas, quas recenſuimus, diuidi poſſe in quadraginta octo modos; quemadmodum primo dictum fuit. Rurſus ex Ptolemæi ſententia, quatuor ſpecies occaſuum, totidemq; exortuum fixarum ſtellarum eſſe videbit; quæ omnes à ſole, cum angulos cœli tenet, nomen accipiunt. nam quemadmodum clarum eſt ex ijs, quæ dicta ſunt de prima, quarta, & ſeptima ſpecie. ſi ſol vna cum ſydere orientis angulum occupauerit matutinus exortus fiet; ab ipſo Pto-
» lemæo, πρωϊνὸς ἀπηλιώτης vocatus; ſi verò in angulo medij
» cœli poſitus fuerit, ortus meridianus erit, græcè ab illo
» dictus, μεσημβρινὸς ἀπηλιώτης. ſi in occidentis angulo ve-
» ſpertinus exortus, græcę vocatus, ὀψινὸς ἀπηλιώτης. ſi in op-
» poſito medij cœli angulo, aſpectum hunc doctrinæ gratia mediæ noctis exortum vocabimus. eadem diuiſio locum etiam habet in occaſu, vt ſatis manifeſtum eſt ex ijs, quæ ſupra poſita ſunt, de tertia, ſexta, & quarta ſpecie. & animaduertendum eſt, quo certior huius materiæ cognitio habeatur, quòd, cum poſſit vnaquæq; ſpecies ortus & occa-

ſus

ſus tribus modis ſępiſsime ſupra allatis conſiderari; hoc eſt ſecundum ſuccedentem, verum & præcedentem, aſpectum; concludendum erit ſecundum mentem Ptolemæi duodecim modos ortus, totidemq; occaſus reperiri: quorum quinq; tantum ſinunt, vt ſtellæ videantur ſurgentes, quinq; verò cadentes; oriens nanq; ſydus conſpicitur in tertio modo prim æſpeciei, in primo tertiæ, & in tribus quartæ modis: qui verò occidentem ſtellam oſtendunt, tertius erit primæ ſpeciei modus, primuſq; tertiæ, tres verò quartæ. Cum igitur hæc ſit Ptolemæi opinio de ortu & occaſu ſyderum, manifeſtum eſt communem viam, & diuiſionem, qua multi paſsim vtuntur in docendis his aſpectibus, multũ abeſſe à ſententia, viaq; tam præclari viri. enimuerò partitio in coſmicos, acronychos, & heliacos (in quarum vocum ſignificatione non ſatis etiam conſentiunt inter ſe autores) longè ab eius mente diſsidet, cum apectus omnes enarrati, cum coſmici, tum heliaci eius iudicio appellari poſsint; quoniam, vt ipſe inquit, & πρὸς τὴν γῆν & πρὸς τὸν ἥλιον, referuntur. animaduertendum etiam ex tot aſpectibus ſupra poſitis; enarratos autores (quantũ ad exortus ſpectat,) tantum quatuor enumerare: hoc eſt ſecundum primæ ſpeciei à Ptolemæo ἑῴαν συνανατολὴν ἀληθινὴν dictum, quem alij vocant coſmicum exortum, alij vero, coſmicum matutinũ, cæteri heliacum, ſiue matutinum verum. Item tertium modum eiuſdem ſpeciei, quem Ptolemæus ἑῴαν προανατολὴν φαινομένην appellat, communiter verò græci ἐπιτολὴν, ab aliquibus heliacus ortus dictus, ab alijs verò heliacus matinus nõ apparens. ſimiliter ſecũdũ modum tertiæ ſpeciei, quem Ptolemæus vocat, ἑσπερίαν συνανατολὴν ἀληθινὴν multi exortum veſpertinum verum appellant: nonnulli verò heliacum veſpertinum, alij acronychũ; tandem alij multi corrupta voce cronychum, id eſt temporalem dixere. tertium quoq; modum eiuſdem, quem Ptolemæus ἑσπερίαν ἐπανατολὴν φαινομένην, id eſt ortum veſpertinum apparentem appellauit; alij verò, ortum heliacum veſpertinum, ſeu acronychum apparentem dixere. itidem de quatuor tantum modis occaſuum mentionẽ fecere, hoc eſt de ſecundo & tertio pri-

mæ ſpeciei, quos coſmicum ſiue matutinum verum & apparentem nuncupauerunt, Ptolemæus verò ἑῴαν συγκατάδυσιν αληντινὴν, & ἑῴαν πρόδυσιν φαινομενὴν. de ſecundo, & tertio tertiæ ſpeciei, qui nominati ſunt occaſus veſpertini veri, aut achronici & apparentes, à Ptolemæo, ἑσπερία συγκατάδυσις αληθινη, & ἑσπερία επικατάδυσις φαινομένη. De alijs verò modis, qui omnes, aut pars eorum maxima neceſſaria eſt ad intelligenda multorum poetarum carmina, aliorumq; autorum loca, ne verbum quidem: quamuis, vt verum fatear, ortus, & occaſus, cum matutini, tum veſpertini, tàm veri, quàm apparentes, quorum ipſi fecere mentionem, maximè vſui fuerunt apud antiquos. Verum ſat dictum ſit de pręſenti materia, de qua forſitan hoc in loco pluribus, quàm neceſſe fuit, locuti ſumus; ad propoſitam quęſtionem de Orionis ortu, de qua à nobis ſuſcepta diſputatio eſt, reuertamur.

*Ponuntur ſuppoſitiones duæ neceſſariæ ad Theophraſti verborum enarrationem. Cap. IX.*

HIs ita expoſitis facile erit nobis oſtédere, quemadmodum & polliciti ſumus, Theophraſti ſeculo Orionem principio oporæ exoriri conſueuiſſe, quod veriſsimũ eſſe demõſtrare conabimur ſecũdo huius diſputationis libro, vbi tñ antea duo in extremo hoc capite præfati fuerimus: primum, Theophraſtum loqui de ortu matutino apparente eiuſdem, qui fit, quando ſydus manè ſupra noſtrum horizontem aſcédit ante ſolis exortũ; ſicuti ſupra expoſitum fuit auctoritate eiuſdem, atq; Ariſtotelis, in problematibus, infraq; etiam oſtendetur ex verbis eiuſdem 2. Meteoron: non autem de illo ortu, quem verum, aut coſmicum appellant, quemadmodum Vicomercatus ſentire videtur, exiſtimans eodem tempore ambos exortus contingere; quæ res falſum illum habuit, cum vniuſcuiuſq; ſtellæ apparens ortus poſtea fiat, in nonnullis vero poſt multorum dierum ſpatium: & ex conſequenti etiam dicendum erit de eadem ſpecie occaſus Theophraſtum intellexiſſe

lexiſſe, ſcilicet de occaſu matutino apparēte. Alterum verò erit ſupponendum, illum loqui de ortu atq; de occaſu totius imaginis, deq; tempore, quo exoritur, atq; occidit: cum
„ quoties antiqui autores, ſic locuti ſunt, Orion exoritur,
„ Orion occidit, exiſtimandū ſit voluiſſe totam Orionis imaginem oriri, & occidere, non autem aliquam illius ſtellam ſingularem, cum in ea nulla ſit præ alijs conſpicua, aut quę referat imaginis nomen; quamobrem ſi non loquerentur de tota imagine, dubiū eſſet, de quanam ſtella verba feciſſent, exindeq; ſequeretur magna cōfuſio. iam verò cum duobus modis verba interpretari poſsint, quoties ſic locuti ſunt;
„ Orion exoritur: Orion occidit: nimirum, aut de tempore, quò Orion exoriri incipiebat, primaq; eius imaginis ſtella conſpiciendam ante ſolis ortū ſe tradebat; aut de tempore, quò tota Orionis imago ſupra horizontē aſcendens vltima eius ſtella libera à ſolis lumine videri poterat: (id ipſum & de occaſu dicendum) poſtremo ſenſu, cū ſcilicet tota Orionis imago oriri deſinit, aut occidere, Theophraſtū locutum eſſe arbitramur: quamuis ipſe explicite nō poſuerit tēpus, quo Orionis imago tota exoriebatur, & occidebat. quapropter cū dixit Orionem oriri principio oporæ, occidere verò hyemis initio, idem erit ac ſi dixiſſet Orionem deſinere oriri atq; occidere, ſiue totum Orionis aſtrum temporibus illis exoriri, & occidere. neq; nos moueat, non poſuiſſe illum vocem ὅλος, neq; illi ſimilem, qua totius imaginis exortum exprimeret, quod ſolent Aſtrologi facere, cum de totius aſtri ortu mētionem habent, quemadmodum Hipparcus, & Ptolemæus ſexcentiq; alij fecere; qui, cum ſolummodo dicerēt Orion exoritur, Lepus exoritur, ſemper de tempore tantum, in quo incipit oriri aſtrum, & prima illius ſtella apparere, intelligunt; ex quo & Hieronymus Cardanus magni ætate noſtra in Aſtrologia nominis hanc rem tractans in Coment. ſuper Ptol. lib. 2. de Aſtrorum Iudicijs com. 64.
„ ita de ea ſtatuit. Circa quod notandum eſt; quod quando
„ ſunt plures ſtellæ, exortus intelligitur cum vna earum pri-
„ mo incipit videri: occaſus autem cum prima illarum qua-
„ liſcunq; ſit, abſcondi incęperit: ita quod ortus intelligitur

 de pri-

" de prima, quæ apparet, & occaſus de prima, quæ abſcõditur. non inquam hæc nos turbent. nam cum Theophraſtus nominatim tempus exprimat, ortus & occaſus Orionis, oſtendit etiam neceſſario tempus ortus atq; occaſus totius imaginis; cum alio ſenſu eius verba accepta falſa ſint, nimirum eius ætate Orionem principio oporæ incepiſse naſci, occidereq; principio hyemis. præterquam quod cum exiſtimaret ea perſcribere, quæ ſuo ſeculo exploratiſsima omnibus erant, quemadmodum ſtellarum ortus, & occaſus tempora, veluti ſupra ſatis ſuperq; Theonis teſtimonio probauimus, ſat illi fuit indicaſſe tantum. atq; etiam Ariſtotelem 2. Meteoron, de toto Orionis ortu, atq; occaſu intellexiſſe certum eſt, cum de eius imagine verba fecit, veluti infra oſtendemus; quod euidens argumentum eſt, Theophraſtũ hoc in loco eadem ſenſiſſe, vbi eandem diſputationẽ inſtituit. Hæc dicta ſufficiant. Secundum librum aggrediamur.

FINIS.

LIBER

# LIBER SECVNDVS.

## CAPVT PRIMVM.

*Anni ſolaris ſectio ponitur de Philoſophorum, Medicorum, Poetarumq; veterum ſententia. Hippocratis ex Epidemijs, ac ex lib. de Aere, Aquis, & Locis & ex lib. de Diæta diuiſio affertur, & de ea Galeni opinio reijcitur. Cap. I.*

OPeræ prętium erit, quò melius dilucidiuſuè Theophraſti verba intelligantur, de anni diuiſione verba facere, vt ſciamus quid ſignificent duæ voces ὀπώρα primũ, & χειμών. breui igitur vt me expediam, ſciendum eſt, antiquos omnes diuiſiſſe annum in quatuor partes, quæ communiter, ver, æſtas, autumnus, hyemſq; vocantur. has verò duobus modis incipere conſueuiſſe; aut à ſolis motu, à quo originem habent, atq; dependent; aut ab ortu, occaſuq; ſyderum. De prima diuiſione anni non eſt propoſitum impreſentia diſputare, cũ res clara ſit, atq; conſpicua; & qui hac vſi ſunt, tantummodo annum in quatuor tempora diuiſere, incipientia à Solſtitijs, atq; Aequinoctijs; quæ diuiſio cum firma ratione nitatur, ſæpiſsimè ab Ariſtotele, Theophraſtoq; accepta fuit. Altera verò de qua diſputationem habere inſtitui, diuidit annum vniuerſum pluribus in partibus, de qua ſat mihi erit recenſere, quæ Hippocrates ſcripſit, cuius autoritas inſtar omnium eſſe debet. Duas igitur diuiſiones anni, ſuis monumentis, (vt interea eam relinquamus, que in libello de Structura hominis habetur,) expreſſè conſcripſit Hippocrates; in Epidemijs vna conſpicitur, ac in lib. de Aer. Aqu. & Locis, atq; in Aphoriſmis. alterà verò tertio de Dięta. Harum primam Galenus recenſens Com. primo primi Epidem. inquit, Hippocratem ſecutum communiſsimam anni ſectionem in quatuor tempora, tamen partitum eſſe annum

in ſeptem partes, quarum tres hyberno tempori adſcripſit, æſtati duas, quibus attexens duas, ver inquam, atq; autumnum ſeptem expleuit partes à nobis, atq; à Galeno enumeratas: qui explicans etiam principia vniuſcuiuſq; partis, ſcriptum reliquit verni temporis initium eſſe ſecundũ Hippocratis mentem ab Arietis ęquinoctio, extendiq; ver vſq; ad Vergiliarum exortum; à Vergilijs rurſus ad Canem vſq; primam æſtatis partem eſſe, à Sirio autem ad exortũ Arcturi ſecundam; ab Arcturo ad Vergiliarum occaſum autumnum, à Vergilijs ad vernum æquinoctium hyemem totam, in tres tamen partes ſeiunctam; quarum prima tempus illud erat poſt Vergilias, σπορήτον, hoc eſt ſementarium dictum, quia tunc ſemina terræ commituntur; altera verò circa brumale ſolſtitium, quæ proprie hyems dicitur; tertia autem reliquum tempus vſq; ad æquinoctium Arietis, φυταλίαν, id eſt plantarium appellatum, quia tunc optimè plantæ coluntur: hæc eſt Galeni opinio; quæ ni fallor hac in re minimè ſequi debet; cum longè aliam, ſi recte Hippocratis verba ijs in libellis conſiderare velimus, anni diuiſionem ab ea, quàm Galenus opinatus eſt, reperiamus: diuinus enim ſenex mẽtionem facit citatis locis de duobus æquinoctijs, de ambobuſue ſolſtitijs, atq; de ortu, & occaſu Vergiliarum, de Arcturi exortu, ac de Canicula, deq; Fauonij flatu, ex quibus obſeruando notat mutationes, atq; temperationem aëris, quæ annuatim fiebant, ex indeq; alterationes egrotantium: qua de re neceſſe erit fateri, illum diuiſiſſe annum in nouem partes, non autem in ſeptem quemadmodum refert Galenus; quod reſpiciens Hippocrates lib. de aer. aqu. & loc. poſtquam temperaturam ſalubris anni oſtendit, atq; ægritudines etiam, quæ contingere ſolent, ſi quando euenit, vt ab optimo temperamento diſcedat, ac ſi diuiſionem
„ ſuam ob oculos nobis poneret, ita ſubiungit. Periculoſiſſi-
„ ma ſunt ambo ſolſtitia, maximè verò æſtiuũ, periculoſumq;
„ æquinoctium vtrũq;, magis verò autumnale, oportet pręte-
„ rea & aſtrorum ortus conſiderare, & præcipue Canis, dein-
„ de Arcturi, atq; Pleiadum etiam occaſum. quibus omnibus ſi adiungamus Fauonij flatum ex primo Epidem. no-

nem erunt partes iam ſupra enumeratę;hoc eſt tres hyemis,
totidem æſtatis, duæ autumni, vna veris. quarum prima,
vt à verno tempore principium ſumamus, erit ab Arietis æ-
quinoctio, vſq; ad Vergiliarum exortum: nam Hippocra-
tes ab hoc æquinoctio,non autem à Fauonio flatu videtur
vernum tempus incepiſſe primo Epidem. illis in verbis.
,, Quin & poſt hybernum ſolſtitium, cum Fauonius incipit
,, ſpirare,præpoſteræ magnæ tempeſtates fuerunt,ſeptentrio-
,, nes multi,niues multę,& iuges pluuię, cęlum procelloſum,
,, nubilumq; fuit, quæ ad æquinoctium vſq; durauerunt, ver
,, autem frigidum, ſeptentrionale, nubilum, aquoſumq;
,, fuit. ſecunda verò à Vergilijs ad ſolſtitium ęſtiuum, eritq;
prima æſtatis pars: tertia anni totius, altera verò æſta-
tis pars, à ſolſtitio incipiet, deſinet ad Caniculam; ab
hacq; ad Arcturum quarta anni,tertia verò æſtatis; ab ortu
Arcturi, quinta totius anni, prima verò autumni vſq; ad
æquinoctiũ Libræ; ab hoc autem ad Vergiliarum occaſum,
ſexta erit anni, ſecunda verò autumni; à Vergilijs ad hy-
bernum ſolſtitium, ſeptima anni, primaq; hyemis; ab ipſa
ad Fauonium flatum, ſecunda hyemis, octaua autem an-
ni; tandem à Fauonio ad æquinoctium veris, nona atq; vl-
tima pars anni erit,tertiaq; atq; poſtrema hyemis. De alte-
ra verò diuiſione ſic in tertio de Diæta Hippocrates loqui-
,, tur. Plerique annum in quatuor partes, quas multi noue-
,, runt diuidunt, hyemem, ver, æſtatem, autumnum: hye-
,, mem quidem à Vergiliarum occaſu,vſq; ad vernum æquino-
,, ctium, ver autem ab æquinoctio ad Vergiliarum exortum,
,, æſtatem ab Vergiliarum, ad Arcturi exortum, autumnum
,, ab Arcturi ad Vergiliarum occaſum. Hęc via incipiendi an-
ni tempora ab ortu,& occaſu ſyderum, quam Hyppocrates
ſecutus eſt, ab heroicis vſq; ducta temporibus, antiquiſsi-
mis auctoribus cognita fuit: nam Homerus, quo non vetu-
ſtiorem alterum, ſi Ioſepho credimus in Appionem inue-
hentem,Gręcia omnis in teſtem adducere poteſt,cũ ita con-
cinne cecinit de aqnis.

τὸ μὲν ποτὶ δλυομένησι.
Θέρμος πολλῆι ἀδλέεσσιν ἀμοιβηδὶς δ' ἀνθεούσαις,

Κρυ-

Κρυστάλλῳ ἴκελον καλῆς ἀνεκήκιεν πέτρης.

» Interdum enim occidentibus.
» Stellis Pleiadibus cōcalebat, viciſsim autē aſcēdētibus
» Chriſtallo ſimilis à formoſo ſcatebat iugo.

dicens Vergiliarum occaſu aquas ſubterraneas calefieri, earumq; exortu frigeſcere, & quid aliud oſtendere voluit niſi illis temporibus hyemem, æſtatemq; incipere? Heſiodus verò ſecundo Oper. & die. æſtatis atq; hyemis aliunde principium non duxit; quamobrem Aratus carminibus iam ſupra primo libro capite ſeptimo allatis matutino ortu æſtatem, veſpertino hyemem incipere Vergilias dixit. Autumnuſq; apud Hæſiodum non aliundè principium habet, niſi ab ortu matutino Arcturi, neq; in alio differt Hippocrates ab ipſo, niſi quia Hipp. vult ver incipere ab ęquinoctio Arietis, Hæſiodus vero ab ortu veſpertino apparente Arcturi, quemadmodum optimè his carminibus expreſsit.

Εὖτ' ἂν δ' ἑξήκοντα μετὰ τροπὰς ἠελίοιο
χειμέρι' ἐκτελέσῃ Ζεὺς ἤματα, δή ῥα τότ' ἀστὴρ
Ἀρκτοῦρος, προλιπὼν ἱερὸν ῥόον Ὠκεανοῖο,
πρῶτον παμφαίνων, ἐπιτέλλεται ἀκροκνέφαιος.
τὸν δὲ μετ' ὀρθογόη Πανδιονὶς ὦρτο χελιδὼν
Ες φάος ἀνθρώποις, ἔαρος νέον ἱσταμένοιο. .i.

» Quum ſexaginta poſt verſiones ſolis
» Hybernos perfecerit Iupiter dies, tunc ſanè ſtella
» Arcturus, relinquens immenſum fluctum Occeani,
» Primus totus apparens exoritur veſpertinus.
» Poſt hunc manè lugens Pandionis prorumpit hirundo
» Ad lucem hominibus, vere nuper cœpto.

Idcircò Theophraſtus, ni fallor, verbis ſupra poſitis dixit, vbi de Arcturo loquitur, vtrunq; eius ortum obſeruari. innuens matutinum incipere autumnum, veſpertinum ver ipſum.

*Cur veteres ortu & occaſu ſyderum in anni diuiſione vſi ſunt, & præſertim Hippocrates. principia annuarum partium Theophraſti ætate congruentia conſtituuntur. locaq; plurima Hippocratis de dierum numero inter has partes interiecto enarrantur, ac veritas ſententiæ ipſius demonſtratur. Cap. II.*

CVr verò erudita illa antiquitas exortu & occaſu ſyderum anni diuiſionem acceperit, cauſa forſitan eſt,quia exiſtimauit octauam ſpheram immobilem eſſe, vel quia,vt autor eſt Proclus in commentarijs in Hæſiodum, antiqui auctores ſolebant deſignare tempora, hæc quidem aptà,alia verò minimè,ex ſtellis,herbis plãtis, animalibus, ad mortalium opera exercenda; ita enim Hæſiodus ab illo animali, quod Gręci vocant φερέοικον tempus colendis vitibus contrarium oſtendit; idemq; docuit hyemem inſtare cum Grues apparẽt; germinatione fici indicauit verni temporis nauigationem: tritiſsimaq; eſt tum apud Poetas, tum apud Philoſophos, lentiſci proprietas, quam, tradunt, ter in anno frutificare tripliciq; fructu indicare tria arandi tempora: ex quo & Cicero lib. primo de Diuinatione verſibus ex Arato adductis.

Iam verò ſemper viridis, ſemperq; grauata
Lentiſcus, triplici ſolita grandeſcere fœtu
Ter fruges fundens tria tempora monſtrat arandi

tandem exortu, atq; occaſu Vergiliarum meſſem arationemq;, cum veſpertino Arcturi exortu tempus putandarum vitium, cum eiuſdem matutino exortu tempus vindemiæ faciendę græci Poetę docebant, præſertim Hæſiodus, qui ijſdem ſtellis vſus eſt ad ſignificanda anni tempora, quibus hæc facienda erant. idcircò Aratus in Phęnom. in principio ita cecinit.

ἐσκέψατο δ' εἰς ἐνιαυτὸν
Ἀστέρας. οἵκε μάλιστα τετυγμένα σημαίνοιεν
Ἀνδράσιν ὡράων, ὄφρ' ἔμπεδα πάντα φύωνται. id eſt.
prouidit verò ad annum
Stellas, quæ potiſsimum facienda indicarent

 Homi-

Hominibus temporum, quò ſtata cuncta naſcerentur. Hincq; ratio apparet, quamobrem hæc tantum ſydera, inter multa alia, clariora ſint, atq; vſu magis recepta apud autores. Hippocratem autem, eundem modum præcipuè (niſi hallucinor) ſecutum eſſe credo; quia viderit medicinæ commodo eſſe hanc diuiſionem, qua quidem anni tempora deſcribuntur, & præcipue hybernum, ac æſtiuum in minores partes diſtribuũtur: quod doctè quidẽ Galenus expreſ-
„ ſit com. primo in primũ Epidem. cum dixit, magnæ igitur
„ temperamenti differentiæ, quas etiam generales appellare
„ iuuat, annum in quatuor tempeſtates ſeiungunt, ſiue eas
„ inter ſe genere, ſiue ſpecie differre dicas. at ſi harum ſingu-
„ las in magis, & minus partiaris, æſtatem quidem in duas,
„ hyemem verò in partes tres ſeiunges. Quo loco manifeſtũ eſt Galenum voluiſſe, temporum diuiſionem in minores partes, accipi debere, à tempore in quo magis minuſuè in ipſis temperamenta, & qualitatum ipſarum intenſiones, & remiſsiones dominari perſpiciuntur, & quidem optimè: nam cum annus vniuerſus nil aliud verè ſit, quàm æſtas, atq; hyems; (ver nanq; & autumnus particulæ potius æſtatis, ac hyemis quàm anni partes cenſendæ ſunt) conſiderans Hippocrates, multo anteaquam ſol primum Cancri punctũ ingrederetur æſtatis temperamentum vigere, ac priuſquã attingeret primum Capricorni punctum, hybernam temperationem eſſe, idcircòq; illas mutationes accidere, quarum obſeruationem tantoperè commendabat; cũ cerneret Vergilias aptiſsimas eſſe, Canem quoq; & Arcturum, ad ſignificanda tempora harum mutationum, his vſus eſt, multam afferens ſuæ arti vtilitatem. præterquàm quod ſunt, qui credant eum aliquam vim ineſſe his ſtellis exiſtimaſſe; quæ res maximo cum detrimento, cum artis, tum illorum, qui ea indigent, hac tempeſtate prætermiſſa eſt: hoc perſpicuum fit, ſi ad Vergilias ſpectabimus, quarum ortus, & occaſus eius ſeculo ante duo ſolſtitia erat 40. dierum ſpatio. hæc forſitan in cauſa fuit inter alias, quamobrem Theophraſtus in diuiſione anni libello de aquarum ſignis, præter æquinoctiorum, & ſolſtitiorum puncta, vt nos annotatione

24. ſuper

24. ſuper opuſculum illud abundè diximus, Vergilias tantum vſurpauerit. Verum vt ad Hippocratis verba redeam 3. de Dięta, quibus, vt dictum eſt alteram anni diuiſionem diſcimus, diuerſam ab ea, de qua egimus: ſatis clarum eſt, ex loco illo, poſt diuiſionem generatim in quatuor anni tempora factam, paulo infra hyemem diuidi in quatuor partes, & ſecundum vniuſcuiuſq; rationem diſtribui ciborum mutationem, ac laborum, ad ſeruandam popularibus illis
„ valetudinem, Hippocratiſq; verba talia ſunt. Oportet igi-
„ tur his de cauſis, per id tempus ita victitare, ab occaſu Ver-
„ giliarum vſq; ad verſiones dies ſunt quadraginta quatuor,
„ circa verſiones oportet ſummoperè ſanitati operam dare, &
„ quæ dicta ſunt obſeruare, atq; à verſione, totidē diebus ea-
„ dem victus ratio eſt ſeruanda; vbi autem tempus Fauonium
„ adducet ac mollius euaſerit, oportet poſtea vſq; dum dies
„ quindecim conficiantur, eodem victu vti; quibus præte-
„ ritis, iam Arcturi emerſus, & Hirundinis aduentus erit.
„ Tempus autem, quod ſequitur, quod duobus & triginta
„ diebus conſtat, victum variare opportet. Victui igitur,
„ qui tempeſtate conueniat vtendum eſt, molliореſq; cibi &
„ potus adhibendi, ſenſimq; ac leniter ſe à laboribus admo-
„ uendo vſq; ad ver: quo loci videmus primam partem hyemis totum illud tempus accipere, quod eſt inter Vergiliarū occaſum, vſq; ad ſolſtitium; quod metitur ſpatium 44. dierum, quemadmodum in græco contextu habemus, non ſicut Caluus in ſua verſione perperam ponit 40. alteram verò à ſolſtitio ad Fauonium flatum, totidem dierum ſpatio. tertiam ab hoc ad Arcturum, atq; Hirundinum viſu; quod erat ſpatium quindecim dierum. quartam verò ac poſtremam vſq; ad Arietis æquinoctium 32. dierum. ver autem nequaquam diuiſum, vt infra patebit, vſq; ad Vergiliarum ortum ab æquinoctio verno extitiſſe. æſtatem verò duas in partes ſeiunctam, à Vergilijs ad ſolſtitium primam, à ſolſtitio ad Arcturum vſq; ac æquinoctium Libræ, alteram: inter quę puncta 93. dies numerat Hippocrates; atq; notandum eſt, illū vti ęquinoctio non ſecus atq; in ipſo exortu Arctu-
„ ri eſſet, ſic enim dicit. Totumq; hoc ſequens tempus trium,

» & nonaginta dierum mollibus, frididis albis, vſq; ad Arctu-
» ri exortum, & æquinoctium victato. Autumnum tandem diuiſionis identidem expertem claudi ab eo intra terminũ æquinoctij ac Vergiliarum occaſum dierum nempè 48. vt
» videre eſt illis verbis. Cæteroqui omni æſtiuo victui demi-
» to additoq; non vſq; ad ſummũ, vti propè ad hybernũ victũ
» deducaris, duo de quinquaginta dies ab æquinoctio, vſq;
» ad Vergiliarum occaſum. Hæ ſunt anni partitiones, quos Hippocrates ſuis libris recenſet, quæ cum ſatis pro præſenti inſtituti ratione à me explicatæ ſint, nihil eſt quod commemorem breuitati conſulens, quæ à Varrone poſtea, Columella, Plinio, alijs ve recentioribus allata ſunt: nec etiam cauſam perquirã, cur Hippocrates in prima diuiſione æſtatem plures in partes ſecauerit, in hac verò hyemem, in illa quidem potiſsimum de Syrio mentionem faciat, diuidatq; autumnum, vtens exortu Arcturi, atq; æquinoctio, ac ſi eſſent differentes, in hac verò contrariũ omnino agere videatur; in prima annum in nouem partes ſeiungat, in hac ſecet illum in octo. hæc enim omnia, & reliqua ad hanc materiã pertinentia fuſiſsime à nobis in libris de Hippocratica anni partitione pertractata ſunt; ſat erit impreſentia ea attigiſſe, quæ maximè neceſſaria erant. modo demonſtrare conabor, quod maximi eſt momenti, ad hanc quæſtionem tollendam, quo tempore quibuſuè menſibus hæ anni partes inciperent; quod vt facilius à nobis percipiatur, animo cogitandum eſt (ne incidamus in menſium græcorum confuſionem) Iulianum annũ vſu fuiſſe etiam illis temporibus, quippe qui aptiſsimus ſit ad enumerandos ſyderum motus. ſuppoſito hoc, inueniemus Vergiliarum occaſum matutinum, vt ab hoc initium ſumam, veluti conſpicuum eſt in noſtra tabula, ętate illa contigiſſe, cum ſol ingrediebatur grad. 15. 46. Scorpionis, quod veriſimile eſt accidere potuiſſe decimam circiter, aut vndecimam Nouembris. (ſufficit mihi nunc confuſè quidem hanc rem deſcribere, ac vt aiunt pinguiori Minerua, cũ nihil referat ad propoſitã quęſtionem, ſi diei vnius, aut duorum interuallo, vel etiam paulo pluriũ à ſcopo aberramus,) pari modo videbimus etiam Bru-

mæ ſolſtitiū fieri ſolitum ad 22. 23. aut 23. & 24. Decemb. Verum ab occaſu Vergiliarum ad hoc ſolſtitium 44. dies, vt iam vidimus, numerabat Hippocrates: qua de re, cum totidem interſint à die Nouemb. X. ad 23. Decemb. dicendum erit abſq; vlla dubitatione, viam, quam nos ſecuti ſumus, ad inuenienda exortuum, ac occaſuum ſtellarum puncta, atq; tempora locauè ſolis, haud quaquam diferre ab ea, quam Hippocrates tenuit, atq; cæteri illius tempeſtatis autores. ad hæc, cum idem velit à Brumæ ſolſtitio ad Fauonium intercedere 44. dies, perſpicuum eſt hunc flatum, tunc ſpirare incepiſſe die quarta, aut quinta ferè Februarij, quo tempore, ſol medium Acquarij percurrebat. huius rei gratia Columella, Pliniuſq; huius menſis diem ſextam primis huius flatus auris, ac Ptolemæus ſecundam in libello de Inerrantium ſyderum ſignificationibus impertiti ſunt. Poſt Fauonium Arcturus ſequitur, qui ſuo veſpertino exortu, vt iam dictū eſt, incipit quartam, ac poſtremam hyemis partem, cuius tempus ita venandum arbitror. perſpicuum eſt exortum, atq; occaſum matutinum apparentem ſyderum ſequi verum matutinum, è contra verò veſpertinum apparentem ortum & occaſum, veſpertinum verum præcedere; cum igitur tunc Arcturus emergeret ex Athenarum horizonte cum partibus 13. 7. Virginis, vt patet in noſtra tabula, exortus veſpertinus verus illius neceſſario contingebat, quando ſol in puncto oppoſito erat, hoc eſt in partibus 13. 7. Piſcium; apparenſq;, cum ſol per tot partes verſus pręcedentia aberat à loco illo, quot, ni fallor, interuallū matutinę apparitionis conficiebant, quod, non ſecus ac exortum matutinum apparētem inquirentes neceſſe eſt addere pūcto Eclipticę, quo cum oriebatur Arcturus, ita cum quęrimus veſpertinum apparentem, ſubtrahendum eſt à puncto oppoſito: quocirca cum illud ſit, vt in tabula apparet, partium 12. 26. dicendum erit, quando ſol grad. 0. 41. Piſcium ingrediebatur, talē aſpectū factū fuiſſe, quod erat circa X X. aut XXI. diem Februarij, à quo quidem aſpectu ad Fauonij flatum, quindecim penè dies intercalabant, quos enumerat Hippocrates; quod euidentiſsimum eſt ſignum diuinum ſe-

nem

nem hac methodo in venãdo ſyderis huius ortu veſpertino apparente vſum fuiſſe. Identidem Arietis æquintctiũ veris principiũ erat ad dies 22. & 23. aut 23. 24. Martij: quapropter ſatis euidens eſt ab Arcturo ad hoc æquinoctiũ, hoc eſt à die 20. Februarij ad 23. Martij 32. dies vt Hippocrates voluit, intercalaſſe. eadem etiam methodo ac ratione tempus emerſionis Vergiliarum hauriemus, exindeq; æſtatis initiũ, atq; aliarum partiũ: nam & ipſæ cum ſimili aſpectu exoriebantur, quando ſol grad. 25. 24. Tauri tenebat; obtingebat enim id. 17. 18. diem Maij circiter. ſolſtitiumq; æſtiuũ 25. ac 26. Iunij. matutinus verò Arcturi exortus principiũ autumni 21. aut 22. Septembris die, quando ſol grad. 25. 33. Virginis percurrebat. Libræ porrò æquinoctium 25. ac 26. eiuſdem menſis: quæ omnia ſi vera ſunt, neſcio quanã ratione Galenus ſuſtinere poſsit Arcturum ſuo ſeculo manè exoriri ſolitũ fuiſſe per dies duodecim ante autumni æquinoctium, dummodo ipſe teneat, quod probatiſsimi autores omnes tenuerunt, principio Libræ æquinoctium ipſum fieri, non autem octaua eius parte, quemadmodum Chaldei opinati ſunt. ab hoc æquinoctio ad Vergiliarũ occaſum, dies 48. numerabat Hippocrates, totq; ferè intercedunt ſecundum noſtram ſupputationem; cum à 25. Septembris die ad 10. Nouemb. 46. interſint. Iam verò anni tempora, temporumq; ipſorũ initia venati ſumus, quemadmodũ antiquis ſeculis contingebant, dictumq; eſt ver die 22. 23. Martij cum Arietis æquinoctio incipere, æſtatẽ verò die 17. & 18. Maij cum matutino Vergiliarum exortu, rurſus autumnum die 21. ac 22. Septemb. eodem Arcturi aſpectu; hyemem tandem die 10. ac 11. Nouemb. cum Vregiliarum occaſu initium facere. Reliquum eſt videre, quænam anni pars illa ſit, quam Theophraſtus oporam appellat; idq; ſequenti capite explicabitur.

*Quænam*

*Quæ nam pars anni ſit opora ex Galeno, & Olympiodoro docetur. carmina quædam Homeri de oporino aſtro explicantur. Ariſtotelis locus ex ſecundo Meteoron declaratur. Budeus reijcitur. Cap. III.*

OPoram, de qua Theophraſtus verba facit, eam fuiſſe anni partem, quæ pars vocatur æſtatis ſecunda, incipiens à Caniculę exortu ad Arcturum vſq;, Galeni autoritas comprobat. ita enim ſcriptum reliquit non ſolum in Commentarijs p. Epidem. ſed clarius atq; perſpicacius etiam in Aphoriſmos 3. libro Aphoriſmo
,, decimoquarto, quo loco ſic inquit. Vergiliarum ortus æſta-
,, tis eſt initium, poſt quos Caniculæ ortus oporam appellatã
,, inchoat, quam ipſam eſſe volunt alteram æſtatis partem, poſt
,, eam Arcturus ſuo ortu autumno dat initium. id ipſum af-
,, firmat Olympiodorus in primum Meteor. ſic dicens. id ſo-
,, lum ſcire noſtra magnopere intereſt, longè aliam rationem
,, eſſe æſtatis, & oporæ. Aeſtas nanq; diſtribuitur in partes
,, duas, in æſtatem videlicet, cum ſol in Cancro eſt, atq; in
,, oporam, cum ſol videlicet in Leone eſt, quo tempore ſydus
,, Syrium apparet, quod poeta ab opora oporinum appella-
,, uit, eſſe autem illud tempus anni, oporam, declarat dein-
,, ceps ſubſequens aliud tempus phtinoporum appellatũ, tan-
,, quam quod ab interitu ſuperioris temporis oboriatur. ex quibus verbis colligimus antiquiſsimam fuiſſe, & vſq; ab Homeri ductam temporibus conſuetudinem hanc, incipiendi huiuſmodi anni partem, quam vocamus oporam, à Syrij exortu; locum verò citatum ab Olympiodoro, quinto Iliados eſſe exiſtimo, vbi Homerus concinnè quidem fingit ſimilem Caniculæ ſplendori lucem illam, quæ Palladis beneficio ornabat, tegebatq; Diomedis corpus; hæc ſunt illius carmina.

Δαῖέ οἱ ἐκ κόρυθός τε καὶ ἀσπίδος ἀκάματον πῦρ,
Ἀστέρ' ὀπωρινῷ ἐναλίγκιον, ὅς τε μάλιστα
λαμπρὸν παμφαίνησι λελουμένος ὠκεανοῖο.

,, Lucebat ei ex galeaq; & ex ſcuto indefeſſus ignis,
,, Stellæ Oporinæ ſimilis, quæ maximè

Splen-

Splendidè lucet lota in Oceano.

niſi fortaſſe Olympiodorus intellexit illum alium locum vigeſimi ſecundi libri, vbi Homerus non ſolum ſplendorem Achillis armati deſcribit eiuſdem ſtellæ ſimilem, verũ etiã, quod maximum eſt ad illuſtrandam veritatem, oſtendit, cũ ſydus hoc exoriretur, Oporæ dediſſe principiũ; quæ carmina hic apponam, tanquam lectu dignißima; & quæ oſtendũt Caniculæ ortum omni tempore apud omnes populos infauſtum infelicemq; habitum fuiſſe, vt qui multos morbos hominibus affert: quamobrem, ni fallor, ab eodem Poeta lib. 11. ſydus hoc οὔλιος ἀςὴρ hoc eſt mortale, ac infelix appellatum fuit. Sic igitur illo in loco cecinit Homerus.

ὥς Ἀχιλεὺς λαιψηρὰ πόδας καὶ γούνατ' ἐνώμα.
τὸν δ' ὁ γέρων Πρίαμος πρῶτος ἴδεν ὀφθαλμοῖσι,
Γαμφαίνονθ' ὥς τ' ἀςὲρ' ἐπεσσύμενον πεδίοιο,
ὅς ῥ' ἀτ' ὀπώρης εἶσιν, ἀρίζηλοι δὲ οἱ αὐγαὶ
φαίνονται, πολλοῖσι μετ' ἀςρασι νυκτὸς ἀμολγῷ,
ὅντε κὺν' Ὠρίωνος ἐπίκλησιν καλύουσι.
λαμπρίτατος μὲν ὅγ' ἐςὶ, κακὸν δὲ τεσῆμα τέλυκται,
καί τε φέρει πολλὸν πυρετὸν δειλοῖσι βροτοῖσιν. id eſt.

Sic Achilles cæleriter pedes, & genua mouebat,
Hunc verò ſenex Priamus vidit oculis,
Vndiq; fulgentem vt ſtellam irruentem per campum
Quæ opora oritur, lucidi autem eius radij
Apparent multa inter aſtra noctis medio,
Quęque Canem Orionis cognomine vocant,
Splendidiſsima quidem hæc eſt, malum verò ſignum
Et affert multam febrem miſeris mortalibus.

Vbi notandum, cum Homerus dixerit ὥστ' ἀςέρα, paulo poſt
„ etiam ὅς ῥ' ἀτ' ὀπώρης εἶσιν, id eſt vt ſtella, quæ aſcendit in opo-
„ ra, vel vt alibi dixit ὀπώρινη, quia cũ matutino oritur oporæ dat initiũ, illis quidem verbis paulo infra νυκτὸς ἀμολγῷ fortaſſe non veſpertinum tempus, aut mediam noctem ſignificare voluiſſe, quemadmodum multi opinati ſunt, verum vltimam illius partem, illamq;, quæ dubia lux vocatur, ac matutinum crepuſculum, quod ſoli præit, cum àd nos accedit per 18. grad. ſub horizonte adhuc exiſtens; innuens

ſi mea

ſi mea me opinio falſum non habet, Syrij exortus matutini tempus, vt principium oporæ; nam videmus Aratum quoq; vſum fuiſſe illo in loco.

τῆμος καὶ κεφαλὴ κυνοσουρίδος ἀκρόθι νυκτὸς
Ὑψι μάλα τροχάει. id eſt.
„ Tum quoq; caput Cynoſuræ in extremo noctis
„ Excelſè valdè fertur.

Vocem ἀκρόθι νυκτὸς pro extrema noctis parte, vt Theon in Cõmentarijs innuit, non autem pro prima: quamuis cõmuniter in prima eius ſignificatione accipiatur, quemadmodum vox ἀκρόνυχος oſtendit; quæ vſurpatur ad ſignificandũ veſpertinum exortum. De oporæ etiam tempore loquitur Ariſt. primo Meteoron paucis verſibus ſemel & iterũ. vbi de grandinis generatione ſermonẽ habet, diſtinguens illud ab æſtiuo, quamuis ſecus ſenſerit Budeus; quod manifeſte apparet ſecundo loco, quem eò libentius hic apponam, quo oſtendet oporam ex mente præceptoris declinare ad autumni naturam, ac temperamentum; idcircòq; hoc nomine quandoq; vocitari, quod, vt videbimus, multum attinet ad propoſitam diſputationẽ. inquit igitur Ariſtoteles.
„ Rarius autem fit æſtate, quàm vere, & autumno quanquam
„ magis quàm hyeme, aër enim æſtate eſt ſiccior, qui vere ad-
„ huc eſt humidus, autumno verò iam humeſcit; quin etiam
„ interdum opora grandines, vt dictum eſt fiunt ob eandem
„ cauſam: quibus in verbis videre eſt, illum non ſolum diuidere oporam à reliquis anni temporibus, verum etiam ab æſtate, cum velit in ipſa quemadmodum in autumno aërem humectari incipere. id ipſum & Theophraſtus oſtendit li-
„ bello de Signis tempeſtatum, cuius hæc ſunt verba. ſi ver
„ & æſtas frigida fuerit, opora & autumnus æſtuoſus erit & à
„ ventis ſilens. vbi perſpicuum eſt, ipſum coniunxiſſe oporam cum autumno oppoſuiſſeq; æſtati, ac veri; itidem, & alibi, ſed ea omittimus breuitatis ſtudio, nunc ad Hippocratem veniamus.

*Superioris capitis ſententia Hippocratis autoritate confirmatur. oporã, metoporum quandoque appellari Græcorum, ac Latinorum teſtimonio oſtenditur; Hippocratis, Valerij Flacci, Vergilijq; loca obſcura enarrantur. oporæ principium, tempus Canicolæ emerſus Theophraſti ætate, Hipparchi teſtimonio ponitur Cap. IV.*

,, HIppocrates Aphoriſmo XVIII. lib. III. hęc ha-
,, bet. Quod ad tempora verò pertinet, vere &
,, prima æſtate pueri, & his ætate proximi optimè
,, degunt, valentq; maximè, ęſtate verò, & autumni
,, ad aliquam vſq; partem, qui mediam ætatem agunt. quo
,, in loco perſpicuum eſt, Hippocratem primam æſtatis partem, quæ inter Vergilias, & Caniculam includitur, vocaſſe, vt textus græcus habet, ἄκρον θέρος, alteram verò, quæ communiter opora vocatur, tantum θέρος, tanquam partem illius ſecundam, quam coniungit autumno; ex quarum ſympathia naturarum, ac temperamentorum euenit aliquãdo græcos auctores oporam, atq; tempus illud, quod incipit cum Syrij exortu μετόπωρον appellaſſe; idq; feciſſe Hippocratem exiſtimo in lib. de Aëre, Aquis & Locis, vbi poſt
,, quam dixit ἢν δὲ τὸ θέρος αὐχμηρὸν γένηται καὶ βόρειον, τὸ δὲ
,, μετόπωρον ἔπομβρον καὶ νότιον, & c. id eſt ſi verò æſtas ſicca
,, exiſtat, & borealis, ſequens verò autumnus pluuioſus; &
,, auſtralis, & c. ſequitur poſtea ἢν δὲ βόρειόντε ᾖ καὶ ἄνυδρον,
,, καὶ μήτε ὑπὸ κύνα μήτε ἐπὶ τῷ ἀρκτούρῳ ἔπομβρον, & c. id eſt
,, quod ſi borealis ſit, ac ſine aquis, & neq; ſub Caniculam,
,, neq; ſub Arcturum pluuioſus, & c. Quæ quidem verba ad methoporum omnino veniunt referenda, cum iam de æſtate in ſuperioribus affirmauerit Hippocrates ſiccã eſſe & aquiloniam, vt non fuerit hoc inutiliter & fruſtra de ea repetendum. quamobrem vox θέρος in priori loco ἄκρον θέρος ſignificabit; de qua re ſupra feci ex eodem mentionem, nimirum æſtatis partem, quæ eſt inter ortum Vergiliarum, & Caniculam, ac primam partem æſtatis dicet: cœteroqui ſi totam vox illa æſtatem ſignificaret, fruſtra adderet Hippocrates καὶ μήτε ὑπὸ κύνα ἔπομβρον; cum enim alioqui æſtas ſua natu-

ra ſicca

ra ſicca ſit, Hippocrates ſiccam hoc loco eam appellans, plus iuſto ſicciorem eam eſſe opportere monſtrat: debet enim recedere à ſuo temperaméto, vt morbi illi oriãtur. atqui æſtas tota tũc plus iuſto ſiccior eſt, cũ opportunis téporibus pluuijs caret, vt nos alibi de Hippocratis mente notauimus ex libello de Aëre Aquis & Locis; quas ὡραῖα ὕδατα vocauit ibi Hippocrates. tęmpus autem pluuijs idoneũ in ęſtate potiſſimum circa Canis eſt exortum, vt idem citato loco monet, quamobrem dicens ſupra æſtatem ſiccam eſſe, ſi totam ęſtatẽ intellexiſſet, nullatenus ſecundo loco pluuias ſub Canè non fieri ad ſiccitatem æſtatis oſtendendam addidiſſet, cum ſatis ſuperioribus verbis id comprehẽdatur. quod ſi verba ad autumnum referamus, vt Galenus retulit, ac preceptor ſuis in Problematibus, licet aliter alicui videri poſſet, quẽadmodũ cõtextus orationis neceſſario monſtrat referenda eſſe, ac ipſe etiam Hippocrates, ſe ipſum declarans oſtendit 14. Aph. lib. 3. dicendum erit, illam vocem μετόπωρον cõprehendere etiam totum illud tempus quod intercedit inter Syriũ atq; Arcturum; quare Adriani aduerſus Galenũ oppoſitio nullius momenti erit, cum verum eſſe poſsit, autumnum ſub Syrio eſſe ἄνυδρον, quemadmodum docet Hippocrates, ſi latè vocẽ μετόπωρον accipiemus, prout comprehendit etiam illud anni tempus, quod Gręci ὀπώραν vocant, quemadmodũ illic ipſe fecit. atq; eodem fortaſſe ſenſu verba alia eiuſdem libri paulo ſupra accipienda ſunt,
,, & ſi quidem circa canis exortũ accedat aqua ac tẽpeſtas, & Eteſię ſpirauerint, ſpes eſt ceſſatio-
,, nis, & vt autumnus ſalubris fiat. quo rurſus loco tempus ab exortu Canis initium ducens methoporũ videtur appellaſſe. hinc manifeſtum eſt, quid ſibi voluerit diuinus ſenex ſeptimo Epidem. quando, vt ſui moris eſt, horum ſyderum ortu & occaſu, atq; Fauonio flatu accidentia enumerãs ægrotantium qualitates, alterationes, aëriſq; intemperiem, quæ tunc temporis accidebant; poſtquam dixit
,, ἐπιχάρμῳ περὶ
,, πληϊάδων δύσιν, ὤμου ὀδύνη id eſt Epicharmo circa Vergi-
,, liarũ occaſum, humerorũ dolor, paulo infra ſequitur, με-
,, τὰ ζέφυρον, αὐχμοὶ ἐγένοντο, μέχρις ἡμέρας μετοπωρινῆς. ὑπὸ κύ-
,, να, δεινὰ πνίγεα, καὶ πνεύματα θερμὰ, καὶ πυρετοὶ ἱδρώδεες.

quem locum Caluus exiſtimauit corruptum eſſe , atq; pro
ἡμέρας μετοπωρινῆς , legendum eſſe ἰσημερίας μετοπωρινῆς ,ſicq;
„ interpretatus eſt . Poſt Fauonium æſtus magni fuerunt, qui
„ vſq; ad æquinoctium autumni durauerunt : quo in loco, vt
mea fert opinio, Hippocrates Syrij ortus diem; ac primum
oporæ diem ἡμέραν μετόπωρινην, id eſt diem Metoporinã vocauit : quod ſatis ſuperq; ipſe declarat , cùm ſubiungit , vt
dilucidius explicet quid per diem Metoporinam intelligi
„ voluerit , ſub Cane graues æſtus , flatus calidi , febres cum
„ ſudore ; neq; ſatis perſpexit Caluus , paulo infra Hippocratem mentionem facere de autumno ſub Arcturi nomine; idcircò de eodem agere eo in loco minime potuiſſe ; niſi in eũ
incurrens errorem, quem Græci ὕστερον πρότερον vocauere ;
ſi autumni æquinoctiũ poſuiſſet ante Caniculam ; quod haud quaquam exiſtimo Hippocrati in mentem veniſſe; cuius
in verbis perſpicimus temporum ſeriem,omni penitus confuſione remota , temporaq;, vt alterum poſt alterum ſequitur ordine proprio ſic deſcripta, vt nihil clarius : cum poſt
Vergiliarũ occaſum de Fauonio mentionem faciat , poſt Fauonium tempus illud , quod ipſe appellat diem Metoporinam commemoret , quodq; vſq; ad Arcturum extenditur ;
„ quod quidem complexus eſt vnica hac voce , ſub Cane ; demum , & de ipſo Arcturo , ac autumni initio, verba faciat :
Vnde notandum eſt , cum dixiſſet, fuiſſe quidem à Fauonio
flatu ad Caniculã vſq; maximas ſiccitates, ac ſqualores, qui
dominantur , quando multæ exhalationes calidæ , atq; ſiccæ in aëre gignuntur , velut autor eſt Ariſt. primo Meteor.
addit etiam appoſitè , ſub Cane , id eſt totum illud tempus
quod ſequitur poſt eius ortum,ad Arcturum vſq; , maximos
calores fuiſſe perpeſſum , atq; infeſtos ; flatuſq; calidos ,
quæ duo ab eadẽ cauſſa pendunt, ex qua & ſiccitates . quod
ſi in quinto , cum eandem materiam pertractarit , græcè ſic
„ legitur μέχρις ἰσημερίας μετοπωρινῆς. multis de cauſis (ni hallucinor , ) quas breuitatis gratia enumerare ommitto , locum illũ corruptum exiſtimandum eſſe cenſeo, atq; ex hoc
ipſo loco, quẽ præ manibus habemus, ſuæ integritati reſtituendum potius , quàm è contra . verum hic error Caluo
donan-

donandus erit, ſi modo error appellandus eſt, qui eodem
„ loco, cum paulo infra dicat Hippocrates illis in verbis ὅς
„ ὀρνιθίαι ἔπνευσαν πολλοὶ καὶ ψυχροὶ. id eſt flatus Ornithias
(quorũ Ariſt. 2. Meteor. mẽtionẽ facit) præter eorũ naturã frequentes frigidoſq; ſpiraſſe, cum è contra, vt ipſe docuit, rari, calidiq; ſpirare debeant; non ſine maxima eorum admiratione, qui locum illum non omnino oſcitanter legerint (quem grauiſsimi etiam Scriptores, qui poſt illum hanc prouinciam ſuſceperunt reddendi Hippocratem latinis auribus, ſecuti ſunt) ſic tranſtulit verba diuini ſenis.
„ Multi frigidi venti recta quãdoq; ſpirauerunt; quod quàm alienum ſit ab ipſa veritate alijs iudicandum relinquam. ſed vt ad propoſitam diſputationem redeam, quod opora aliquando vocari poſsit μετόπωρον ad illas autoritates, quas ſupra retulimus, adiungemus etiam Iulium Pollucem, qui in ſuo Onomaſtico explicans harum vocum differentiam μετόπωρον & φθινόπωρον affirmare videtur, tempus illud, quod μετόπωρον dicitur, potius vocari debere ὀπώραν, ὡς κατ' ὀπώρης ἐστιν inquit ille, ac poſt ſubiũgit φιλοτιμότερον δὲ θέρους ἀκμή, quibus in verbis cõprehẽdi poteſt, quemadmodũ ſupra diximus, oporã quandoq; etiam dictã fuiſſe, θέρος, ac ita Hippocratem in illo Aphoriſmo eam appellaſſe. neq; ſilentio prætercam, latinos quoq; autores à græcis admonitos oporã, dieſq;, qui à Canicula dicti ſunt Caniculares, nũcupaſſe autumnum; ac Valerium Flaccum, primum in teſtem adducam, qui ita cecinit.

Non ſecus Autumno, quàm cum magis aſperat ignes.
Syrius, & ſæuo cum nox accenditur auro.

vbi perſpicuũ eſt oporã, dieſq; caniculares à Cane ſic dictos, autumnum vocaſſe, quod Vergilium quoq; tertio Georg. feciſſe exiſtimo, vbi ita cecinit.

Hic quondam morbo cœli miſeranda cohorta eſt
Tempeſtas totoq; autumni incanduit æſtu.

Quo loco arbitror diuinum poetam voce illa, æſtu, non tam autumni intemperiem notare voluiſſe, quaſi ſeuiente peſte illa ex frigido in calidum mutatus ſit, quàm dierum Canicularium feruorem; quo fortaſſe ſenſu interpretari etiam

poſſunt

poſſunt altera illa primi eiuſdem operis.

Quid tempeſtates Autumni, & ſydera dicam?

Atq; vbi iam breuiorq; dies, & mollior æſtas,

vbi mea ſententia, ſydera dicit, propter Canem, & Arcturum, breuiorq; dies, quoniam Vergilij ætate, Canis oriebatur, cum iam dies in inſigni eſſent decremento; demum, mollior æſtas, tũ propter pluuias, quæ cum ſurgentibus Auſtris cadentes æſtum per aliquot dies remittebant, tum quia propter Auſtri flatum, & dierum canicularium æſtum, corpora molliora reddebantur, hoc eſt hebetiora, & imbecilliora. Iam verò de ea ſatis diſputatum eſt, quænam pars anni ſit, vnde principium ducat, & quomodo à grauiſsimis auctoribus aliquando ὀπώρα vocata ſit, aliquando verò μετόπωρον, quod maxime neceſſarium erat ad intelligendam vim verborũ Ariſtotelis 2. Meteoron, ad tuendũq; Alexandrum à Vicomercati obiectionibus, vt inferius elucebit. reliquum eſt, vt videamus, Theophraſti ſeculo, quo anni tempore opora inciperet; de qua re, vt paucis me expediam, dicendum eſt, veluti noſtris in tabulis videre licet, verum Caniculæ locum cuius exortu opora incipit, fuiſſe gr. 12. 59. 55. Gemin. punctum verò, quocum ex Athenarum horizonte emergebat grad. 16. 20. Cancri, interuallum apparitionis adijciendum vero eius loco, grad. 47. 51. numerandum à puncto ſui exortus, grad. 14. 30. adeo quod addito, gradibus 12. 59. 55. Gemin. arcu grad. 47. 51. ſiue grad. 16. 20. Cancri arcu grad. 14. 30. videmus ambos finire in grad. 0. 50. Leonis: quamobrem aſſerendum erit, quando ſol locum hunc percurrebat, tunc Caniculam è radijs ſolis emergentem conſpiciendam ſe in oriente ante eius exortum tradidiſſe, conſequenterq; eo tempore oporam incepiſſe: quod accidebat, quemadmodum etiam ſupra dictum fuit, ad 27. 28. Iulij diem; Caniculamq; tunc exoriri conſueuiſſe, cum ſol principium Leonis attingebat, veluti diximus, id verum eſſe, teſtis eſt locupletiſsimus Hipparcus in Aratum, exponens illa carmina.

Ενθα μὲν ἠελίοιο θερείτατοι & c.

Ibi quidem ſoles ardentiſsimi. & c.

vbi

„ vbi ita inquit vt ego interpretor. Circa canis exortum æ-
„ ſtus magni fiunt, exoritur autem Canis ab æſtiua verſione
„ ferè poſt dies triginta, atq; totidem profectò diebus prętе-
„ ritis, vel proximè ſecundum ipſum ſol leonis initium ingre-
„ ditur. quo in loco manifeſtum eſt, vt Hiparcus ſupputauit, Arati ſeculo (qui floruit penè ijs temporibus, quibus Theophraſtus vixit, cum non amplius quàm ſex & triginta annos poſt Alexandri mortẽ fuiſſet) Caniculam oriri conſueuiſſe, ingrediente ſole primũ leonis gradũ. cui opinioni reſpondent exactè ea, quæ in noſtris tabulis ſupputauimus, quarũ calculum cum Hipparchi ſupputatione conſentire, hinc argumentum ſumere poſſumus, à 25. Iunij .i. à tempore quò tunc ſolſtitia eueniebant, ad 27. Iulij diẽ, atq; ad Caniculã, penè intercedere 30. dies, quos ille enumerat.

*Tempora in quibus Orion verè oriri, & occumbere incipiebat; vel totus verè oriri, & occumbere deſinebat ſeculo Theophraſti congruentia aperiuntur: Hipparchiq; autoritate confirmantur. enarratur Arati locus, & aduerſus Hipparcum defenditur. Cap. V.*

His ita expoſitis reliquum eſt pũctum noſtræ diſputationis attingentes, vt probemus, Orionem tunc exoriri ſolitum fuiſſe, quemadmodum Theophraſtus ſcriptum reliquit principio oporæ; verum cũ primum ſuppoſitum ſit, illum verba facere de toto Orionis aſtro, vt ſciamus, quomodo id quoq; accipiendum ſit, operę pretium eſt perquirere, quibus nã ſtellis naſci inciperet, atq; occumbere, quibus cum etiam ortum & occaſum ſuum finiret. de quibus, vt rem paucis abſoluã, dicam, ſtellam eam ex Orionis imagine, quę minorem in Zodiaco longitudinẽ habens magis ad Boream ſpectabat, primam fuiſſe, quæ oriebatur, hæc verò quemadmodũ Hipparcus in Aratũ docuit, prima erat Clypei ſiniſtrę manus; eam verò poſtremò ortam fuiſſe, quę maiorẽ in Zodiaco longitudinem habens, magis erat Auſtralis, hęc verò ſecundum Hipparcum in dextro genu erat eiuſdem; è contra verò in occaſu ſtella magis Auſtralis inter eas, quæ minorem habebant longitudinem, prima erat,

ma erat,cum qua Orion occidebat, quæ vt Hipparco placet, eiuſdem Pes ſiniſter erat; quæ magis borealis erat, inter eas, quæ maiorem habebant longitudinem, poſtremo cũ illo occidebat; hæ vt Hipparco videtur,erant duæ Collorobi. quod totum probatur autoritate Ptolemæi, qui VIII. lib. magnæ conſtructionis ſcriptum reliquit (id ipſumq; etiam probat Theon,ſi recte memini ſuis in commentarijs)ſtellas, quæ magis auſtrales ſunt,priores occidere tardioreſq; exoriri, quàm boreales: ſicuti è contra, quæ magis ſunt boreales prius apparere,ſeriuſq; occultari auſtralioribus;adeo quod ſi Orion oriri incipiebat vna cum prima ſtella Clypei, hęcq; apparebat in Athenarum horizonte Theophraſti ſeculo cum grad. 26. 56. Tauri, vt in noſtra tabula notauimus, dicendum eſt, quando ſol illic erat Orionem exortum verũ ac coſmicum incepiſſe; quod accidebat circiter 20. 21. 22. diem Maij. ſimiliter, ſi totum aſtrum cum dextro genu eiuſdem apparere deſinebat, hocq; ſupra horizontem emergebat cum grad. 1. 48. Cancri, erit affirmandum, quando locum illum attingebat, quod erat penè ſolſtitij die,coſmicè totum Orionem exoriri conſueuiſſe. id ipſum, & de occaſu aſſerendum erit; nam cum eclipticæ punctus, quo cum tunc Pes ſiniſter occidebat eſſet 3. 15. Tauri, exiſtente ſole in oppoſito loco,mergi Orion incipiebat ad 28. 29. diẽ octob. pariq; modo cum punctus, quo cum ſequens Collorobi occultabatur grad. 27. 28. Tauri, eſſet; quando ſol in oppoſito puncto erat ſcilicet ad diem 22. 23. Nouemb. Oriõ totus Coſmicè cadebat. ex his omnibus colligimus verũ exortum integræ imaginis Orionis contigiſſe, quando ſol partes Geminorum extremas occupabat, primaſq; Cancri: quod verũ eſſe teſtatur Hipparchi autoritas; qui ad hæc ipſa reſpiciens, in ſuis commentarijs,laudibuſq; extollens Aratum,ita inquit, vt ego interpretor. ,, De Orione autem cum ,, phenomenis conſentit Aratus exiſtimans ipſum totum cum ,, Geminis exoriri, quo loco notandum eſt, hac voce,Geminis, ,, totum Aratum ſignum intellexiſſe. Habemus etiam verum occaſum Orionis tunc fieri conſueuiſſe, cum ſol vltimas Scorpionis partes teneret; quod cum veritate conſentire

tire Hipparcus, eodem libro oſtēdit reprehendens Aratum
hac in parte, atq; Attalum Rhodium eius interpretem, ac ſi
minimè intellexerint quibuscum Zodiaci partibus totum
aſtrum ea tempeſtate occideret. Hipparchi verba latinè red-
,, dita hæc ſunt libro primo. Quod autem totus Orion, cum
,, Scorpius oriri incipit, non occumbebat, vt Aratus ait, atq;
,, Attalus, ei cōſentiens demonſtrare conatur, ſed potius cum
,, Sagittarij principium ſeſe attollit, ex his manifeſtum fiet:
,, etenim in Græciæ locis, vbi maximus dies quatuordecim
,, eſt horarum, incipit quidem Orion cum ſiniſtro Pede oc-
,, cidere, ſeptima Tauri parte occumbente; deſinit occaſum
,, petere cum Humero dextro vigeſimaquarta eiuſdem ſigni
,, parte occidente. quod ſi Collorobum habet in dextera ma-
,, nu, eundem cum poſtrema Tauri parte in occaſum labi ac-
,, cipere oportet. Perſpicuum igitur eſt Orionem totum; ſi
,, cum Tauro occidit, non poſſe, cum Scorpius oriri incipit,
,, occidere, ſed potius, cum Sagittarij principium ſupra ho-
,, rizontem aſcendit. quibus verbis videmus Hipparcū tem-
pore Arati voluiſſe totum Orionem occidere cum ſtellis
Collorobi, has verò cum extrema Tauri parte, veluti nos
annotauimus: quamuis, vt verum fatear, neſcio quomo-
do hac in re Hipparcus reprehendere poſsit Aratum, cum
apertiſsimè dixerit, totum Orionem occumbere, cum Sa-
gittarius oriri incipit carminibus illis.

Ημος καὶ μεγάλοιο κυνὸς πᾶσαι ἀμαρυγαὶ
Δύνουσι. καὶ πάντα κατέρχεται ὠρίωνος. .i.
Tum etiam magni canis omnes micantię
Occidunt, et omnes partes deſcendunt Orionis.

nam paulo ſupra dixerat καὶ τοξότῃ ἀντέλλοντο, id eſt & Sa-
gittario exoriente. Verum Hipparcum fortaſſe fefellit lo-
cus ille, quem ipſe reprehendit, ob hæc carmina.

Σῆμα δέ τοι κείνης ὥρης καὶ μηνὸς ἐκείνου
Σκορπίος ἀντέλλων εἴη πυμάτης ἐπὶ νυκτός. id eſt.
Indicium autem tibi illius temporis, & menſis illius
Scorpius exoriens eſto, extrema ſub nocte.

cum enim perſpexiſſet, Aratum paulo infra dixiſſe.

ὁ δὲ λύεται ἤδη πρὸ

 Ἀθρόος

Αεϱδος ὠϱίων, & c.
.i. occidit ante matutinum
Cumulatus Orion.

Credidit Aratum voluiſſe totum Orionis ortum tunc fieri, quando Scorpio cũ ſole naſci incipiebat, neq; ſatis perſpexit Aratum loqui de ortu apparente Scorpionis, qui fit, cum ſol Sagittarium ingreditur, ſicuti optime ibi animaduertit Theon; mirumq; eſt Hipparcum non deprehendiſſe, Aratum poſuiſſe tempore ortus totius Orionis ſolem in Sagittario eodem loco ſupra, cum ita cecinit.

Καὶ δ' ἂν ἐπὶ προτέρῳ γε θαλάσσῃ πολλὰ πεπονθώς,
Τέξον ὅτ' ἥελιος καίῃ καὶ ῥυτῆρα τόξου,
Ἑσπέριος κατάγοιο, πεποιθὼς οὐκέτι νυκτί. .i.
At verò in priori menſe mari multa paſſus
Arcum quando ſol incendat, & rectorem arcus
Sub veſperam nauẽ reducito fidens non amplius nocte.

Hinc manifeſtum etiam eſt teſtimonio Arati, Orionis occaſu ea tẽpeſtate vehemẽtes ac incertos flatus illos exoriri conſueuiſſe, quemadmodũ Theophraſtus teſtatus eſt: cum moneat hic periculoſiſsimã eſſe nauigationẽ ob magnas maris tempeſtates, cuius rei ratio à Theone affertur, quia tunc tẽporis, vt ipſe inquit, inſurgerent χειμέρια πνεύματα. quamuis Aratus hunc euẽtum tribuere videatur non ſolum Orionis, verum etiam Aquilę exortui; addens Theon in commẽtarijs ob hanc cauſã, nauigantes frigus, quod tũc erat, ἀήτην, appellaſſe ἀπὸ τοῦ ἀετοῦ, ab Aquila denominatione facta; quod quidem ſydus, vt notat Theõ, tunc mane oriebatur, quando ſol medium Sagittarij occupabat, quo tempore, ſicuti videbimus, totus Orion apparebat.

*Tempora apparentis ortus, & occaſus Orionis totius ætate Theophraſti conſtituuntur; veriſſimèq; dictum fuiſſe ab eodem Theophraſto Orionem initio oporæ apparere, demonſtratur. Cap. VI.*

POſtquam tempora exortus, atq; occaſus veri deſcripſimus Orionis, reliquum eſt, vt venemur apparentis tempora, quæ vt teneamus, notandum eſt, quamquam

quam in imagine aliqua poſsit interdum euenire, vt prima illius ſtella, quæ cum ſole exoritur, non tamen idcirco prior ſit, quæ ante ſolem matutino emerſu apparet, quod idem & de occaſu cōtingit, eaſdem nihilominus ſtellas, quibus ſupra in venando ortu & occaſu vero vſi ſumus, apparētem quoq; in Orione decernere. enimuerò ſi horizontum Zodiaciq; obliquitatis conſideratione habita, ſtellā illam vniuſcuiuſq; imaginis in ortu apparente, anteire dicendum eſt, quę inter boreales magis, minoriſq; lōgitudinis, maius lumē habebit, minoremq; viſionis arcū requiret; vltimā vero illā eſſe, quæ magis exiſtens auſtralis, maioriſq; longitudinis, minus lumē habebit, maiuſq; apparitionis interuallū deſiderabit: ſimiliter in occaſu, quę maius lumen habens inter magis auſtrales minoriſue longitudinis, minorem viſionis arcum requiret, primam occidere; quæ verò inter magis boreales, maioriſq; lōgitudinis, minus lumen habens, minorem eundē arcū expoſtulabit, vltimo ac poſtremo loco occaſum petere; neceſſariū erit fateri Theophraſti ſeculo duas ſtellas, quæ in Athenarū horizōte totum ortum apparētē Orionis terminabant, id eſt quæ primo conſpiciebatur, & quæ poſtremo, ob cauſas expoſitas primā fuiſſe Clypei, & dextrum Genu Orionis. quæ verò totum apparentem occaſum definiebant, ſiniſtrum Pedem duaſq; Collorobi fuiſſe. nam quamuis credi poſſet ſiniſtrum Humerum Orionis primum exoriri, vt potè ſydus, quod habens eandem longitudinem atq; primam Clypei, cum maius ſit, breuius requirat apparitionis interuallum; tamen quia prima Clypei tunc temporis ob ſuam declinationem borealior erat, & propter ſuā latitudinem, quæ nunquam mutatur, eſt minus auſtralis, ſecus accidebat: quemadmodum ſupputando quiſq; facilè inuenire poteſt. quę res vera eſt huius artis magiſtra, in qua locum habet ſigillatim illud Anaxagoræ dictum relatum à pręceptore 4. de part. animal. manum eſſe ſcientię cauſam: cum prima Clypei habens 8. grad. latitudinis auſtralis, declinaret, vti noſtris in tabulis videre eſt, tunc Aquilonem verſus grad. 9. 12. Humerus verò ſiniſter præter ſuam auſtralem latitudinē grad. 17. 30. ferè exiſtens in æquinoctia-

lis plano haberet eandem partem verſus, tantum quatuor minuta declinationis. quamobrem cum multo antea prima Clypei oriretur vna cum ſole, prius etiã è ſuis radijs emergebat, quàm Humerus ſiniſter appareret; quod ſatis perſpicuè patet ex Zodiaci punctis, quibus cum ambæ hæ ſtellæ ſupra Athenarum horizontem conſcendebant, atq; ex interuallis apparitionis earum. cum enim oriretur prima Clypei tunc cum partibus 26. 56. Tauri, vt iam dictum eſt, interuallumq; apparitionis eius matutinæ eſſet grad. 26. perſpicitur, tunc apparere incepiſſe, quando ſol erat in grad. 22. 56. Gem. cum alioqui gradus Eclipticæ cum quo ſiniſter Humerus Orionis oriebatur, exiſtens 7. 58. Gem. interuallumq; apparitionis eius 20. 33. manifeſtum eſt, illum emergere non potuiſſe, antequàm ſol veheretur in grad. 28. 31. eiuſdem ſigni; vnde conſpiciebatur aliquibus diebus poſt apparentem exortũ primæ Clypei. adeo quod, ſi repetamus ea, quę iam dicta ſunt, duæ ſtellæ, quæ illa ætate definiebant ortum apparentẽ totum Orionis, erant, vt iam diximus, prima Clypei, & dextrum Genu, quia earum prima tanquam magis borealis, & minoris longitudinis, cum minorem haberet arcum viſionis, antea apparebat; altera tanquam magis auſtralis, maioriſq; longitudinis, maiorem habens arcum prædictum, poſtremò exoriebatur. Eadem & de occaſu dicenda erunt, quia duæ ſtellæ, quæ eum terminabant, erant, vt clarum eſt rationibus ſupra poſitis, Pes ſiniſter, & ſequens Collorobi, propterea quod prior, quia plus ad Auſtrum reſpiciebat, ac minoris erat lõgitudinis, minorem viſionis arcum requirẽs, prius occidebat; altera verò, quia plus ſpectabat ad boreã, maioriſq; longitudinis erat, maiorem eundem arcum expoſtulans, erat poſtrema. quare cum prima Clypei ſupra Athenarum horizontem eo ſeculo, vt iam dictum eſt, appareret quando ſol ingrediebatur grad. 22. 56. Gem. dextrũ verò Genu, cũ eſſet ſol in grad. 19. 38. Cancri exoriretur, affirmãdum erit Orionẽ tunc conſpici incepiſſe ad diem 17. & 18. Iunij, totumq; apparere deſijſſe circiter 16. 17. Iulij. pari modo Pes ſiniſter cũ occideret, ſole gr. 15. 53. Scorpionis percurrẽte ſequens

quens verò Collorobi, cum idem ſol ingrederetur grad. 15. 48. Sagittarij; ſatis perſpicuum eſt Theophraſti ſeculo Orionem occidere cepiſſe circiter 10. 11. diem Nouemb. totumq; ſe abdere deſijſſe 8. 9. Decemb. quod cum verum ſit, manifeſte apparet; cum Theophraſtus dixit, Orioné exoriri principio oporę, haud quaquam accepiſſe principiũ veri ortus illius, qui erat cũ prima Clypei 21. 22. die Maij; quia ab illo exortu ad oporæ principium, quod erat, vti iam vidimus cum ortu Caniculæ ad diem 27. ac 28, Iulij, amplius quàm duo menſes intercedebant; neq; accepiſſe principium apparentis exortus, qui erat cum eadem circiter 17. 18. diẽ Iunij, quia ab hoc ad Caniculam vſq; 40. & plures dies erãt; neq; etiam de fine veri ortus, qui erat cum dextro Genu eiuſdẽ in ſolſtitio, quoniã ab hoc ad principiũ oporæ integer menſis intererat. quare neceſſario concludendum erit eum, tempus illud ſumpſiſſe, quo totum Orionis aſtrum apparenti exortu oriebatur, quod, vt iam diximus, erat ad 16. 17. Iulij diem; quando ſol grad 19. 38. Cancri tenebat. cum de hoc ſolo exortu, qui non amplius, quàm dierum vndecim interuallo Canem præibat, verba Theophraſti verificentur, ipſum principio oporæ fieri; quaſi eorum ſit ſentẽtia. Orionem, cum totus appareret in fine primæ partis ęſtatis, paucíſsimiſq; diebus ãte Syriũ, oriri principio oporę; cum finis temporis vnius, principium ſit alterius ſequentis, præcipue quantum attinet ad mutationem, quæ in cõtrariam qualitatem efficitur temporis iam iam aduentantis, quæ aliquibus diebus anteaquam ſequens tẽpus reapsè incipiat, dominari poteſt, vt ſupra demõſtratũ fuit autoritate Ariſtotelis, Theophraſti, Aetijq; inter medicos.

*Aduerſus explicatã enarrationẽ afferũtur dubitationes duę & ſoluũtur. plura de mutationibus Caniculæ emerſu factis ex Theophraſto, & Plinio. Defenditur Theophraſtus de autumni temperamento. enarratur mens Hippocratis de oporæ humiditate. concluditur de tempore ortus Orionis vera Theophraſtum ſcripſiſſe. Cap. VII.*

VErum quęrere aliquis poſſet, cur potius Theophraſtus tempus oporæ exprimere voluit quàm finem æſtatis,

ſtatis, cum etiam dicere potuiſſet Orionem in fine æſtatis apparuiſſe, aut expreſsius ſub finem primæ æſtatis partis. huic obiectioni reſponderi poteſt, id eo conſilio feciſſe, quia pertractans ipſe de ortu Orionis, quatenus accidebat in téporum mutatione, quæ originem habebat à Syrij exortu, aut ſaltem hoc aſpectu notabatur, idcircò, vt mea eſt opinio, potius aduenientis temporis principium, quàm deſinentis finem exprimere voluit: propterea illis in verbis, vbi affirmat Orionem naſci ἀρχῇ ὀπώρας, id eſt in oporę initio, vox ἀρχὴ non minus principium mutationis, quàm temporis ſignificabit; ac ſi dixiſſet tunc Orionem naſci, cum relictus erit locus oporæ temperamento, hoc eſt in eiuſdem oporæ principio. Nec alicui id moleſtum ſit, nempè mutationẽ à Canicula inditam, locũ habere poſſe aliquibus diebus ante eius exortum, cum mutationes aëris, quæ prænunciantur ortu, & occaſu ſyderum, æquinoctijs atq; ſolſtitijs, quemadmodum Theophraſtus docet libello de ſignis Tranquillitatis (quæ verba ſupra iam retulimus) vt plurimum non in horum temporum articulis, & cum aſpectus conficiuntur, verum aliquandò paulo poſt, aliquando antea locum habeant. idipſumq; poſt Theophraſtum ſcriptum reliquit Ptolemæus in calce octaui magnæ conſtructionis, qui dum ſe purgat haud quaquam exactè tradidiſſe cognoſcendi modũ, cum apparitionis, tum occultationis ſtellarũ fixarum, ex multis ab eo adductis cauſis, vna hæc eſt, vt ſatis ſit earum craſsiore quadam Minerua habere cognitionẽ, cum mutationes, quæ ſignificantur ab illis, ſequantur, vt ipſe inquit, τὸ σύνεγγυς ἀεὶ καὶ τὸ μὴ τεταγμένον μὴ δὲ τὸ
„ ἀπαράλλακτον, id eſt proximum ſemper, non autem ordi-
„ natum, aut incommutabile; cuius rei rationem reddens ſuis in commentarijs Theon, eleganter Theophraſti ſenten-
„ tiam expreſsit ſic inquiens, vt ego interpretor; interdum
„ enim tempeſtatem aut pluuiam, aut aliquid aliud huiuſmo-
„ di eadem apparitionis die futurum indicant; interdum ve-
„ rò prius, interdum etiam poſterius. quamobrem Plinius lib 2. vbi de æſtu maris agit, dixit, hæc ipſa animaduertens;
„ nec tamen in ipſis, quos dixi temporum articulis, ſed pau-

cis

„ cis poſt diebus &c. & Collumella lib. 11. expreſsius ſic.
„ In hac autem ruris diſciplina nō deſideratur eiuſmodi ſcru-
„ poloſitas, ſed (quod dicitur pinguiori Minerua) quantum-
„ uis vtile continget Villico tempeſtatis futuræ præſagium,ſi
„ perſuaſum habuerit modo ante, modo poſt, interdum etiā
„ ſtato die orientis, vel occidentis competere vim ſyderis.
Itaq; cum poſsit mutatio, quam Syrius præſignificat, incipere aliquibus diebus antequam oriatur, dicendum erit, Orionem, quamuis per dies 11. prius appareret, naſci tamen potuiſſe in mutatione æſtatis in oporam, quod tempus iuremeritò Theophraſtus appellauit oporæ initium. ſed fortaſſe aliquis rurſum dicere poſſet, tempeſtatum mutationes in contrarias ſemper fieri qualitates, idcircoq; difficiles eſſe, atq; inordinatas, vt exempli gratia ſi hyemis in ver contingat mutatio, luce clarius perſpicimus, ex frigida qualitate in calidam fieri mutationem, ſi veris in æſtatem, ab humida, ad ſiccam: qua de re ſi tempus oporæ pars eſt æſtatis, quæ tota calida eſt & ſicca, erit affirmandum nullā mutationē euenire, ideoq; nullius momenti eſſe Theophraſti rationē. cui obiectioni reſponderē ipſe eiuſdem autoritate motus, qui cap. 15. primi de Plantarum cauſis inquit, Caniculæ exortu mutationem maximam eſſe, ex quo ſequitur in tranſitu æſtatis in oporam mutationem hanc fieri; nā tunc quamuis ęſtus maximi ſint, tamen miro quodam modo aër humiditate repletur: quamobrem per id etiam temporis aliquæ plantæ gemmas emittunt, vt refert Theophraſtus, cuius verba, quia optimè deſcribunt quænam & quanta ſit mutationis vis, quæ tunc efficitur, in medium afferam. ille igitur perquirens quibuſnam temporibus potiſ-
„ ſimum plantæ pullulant ita inquit. Reliquis autem ambo-
„ bus, hoc idem ortu Caniculæ & poſt Arcturum obtingere
„ ſolet, etenim ſub ipſo ſydere quanquam plurimum ferueat,
„ tamen, & Auſtri flant, & nubes conſiſtunt, & ipſę arbores
„ manifeſtè humeſcunt, & ſub cortice humor quiddam expan-
„ ditur; quamobrem eo quoq; tempore confluuium alimenti
„ citatur, ſiue humore compulſo & fatta circumobſiſtentia
„ quadam, ſeu ob aliam cauſam. Id tamen hominibus etiam

accidit,

accidit, & hinc alui vehementer ſoluuntur, & febres permultæ præ nimia corporum humiditate inuadunt. Terra quoq; per idem temporis amplius humeſcere planè videtur & aquæ proinde emergunt, & aliæ permultæ mutationes eueniunt; ſed quam ob cauſam hæc ſequantur, alias diſputabimus. quod autem plantis humefactis, & aëre nullo extrinſecus obſiſtente germinum germinatio non abſq; ratione accidit ex ijs, quæ ſupra diximus latiſsime patet. Autumnus verò non quemadmodum dictum eſt ſiccus, & frigidus eſt, ſed potius calidus, & ſimul ac ſyderis facta mutatio ſit, aër humidus ſatis redditur, quamobrem euenit, vt quaſi mixtio quædam humidi & calidi fiat, ſicuti & tempore verno calor à ſequente æſtate obtingit: Etenim autumno caloris progreſſe æſtatis aliquid extat. humiditas autem recens accidit, ſcilicet ob denſitatem refrigerationemq; aëris. ex qua ſanè Theophraſti diſputatione, quorumdam de Syrio Arati carminum vera ſententia elucet, quibus ſic cecinit.

καὶ μιν καλέουσ' ἄνθρωποι
Σείριον. οὐκ ἔτι κεῖνον ἅμ' ἠελίῳ ἀνιόντα
φυταλιαὶ ψεύδονται ἀναλδέα φυλλιόωσαι. id eſt,
atq; ipſum vocant homines
Syrium: non amplius illum cum ſole orientem
Arbores fallunt ſine humore frondentes.

clarũ nanq; eſt, quamuis Theone reclamante, Aratũ ad humorem illum, qui exoriente Syrio ſub cortice plantarũ excitatur, reſpicientem, eleganter dixiſſe huius ſyderis emerſu non amplius arbores eſſe ſine humore. Præterea hinc, illud non ſolum veriſsimum eſſe comperimus, quod de opora differentes diximus, nempè aliquando eam comprehendi ſub hac voce μετόπωρον, vt hic autor eſt Theophraſtus, qui ex humiditate, quæ Syrij exortu in aëre gignitur, ſumit argumentum, tempus illud, quod Metoporum dicitur, humidum eſſe, verum etiam ob humiditatem, quæ tunc producitur, contrariarũ qualitatum mutationem fieri, nimirum ſiccitatis in humiditatem; inſuper colligimus etiam perperam à Scaligero reprehenſum fuiſſe Theophraſtum, & ab aliquibus alijs, ea de cauſa, quia contra communem opinionem

nem auſus ſit aſſerere autumnum calidum eſſe, ac humidū; quare Scaliger videtur Theophraſti verba hoc in loco cum Poetarum cantu comparare: nam totum autumnum abſolute ac ſimpliciter eiuſmodi eſſe nequaquam ille credit, ſed tantum eam partem, quæ opora dicitur, quam complexus eſt voce illa μετόπωρον, & aliquos etiam dies poſt Arcturū: totum inquam illud tempus per ſe calidum eſſe, ob calorem, qui tunc dominatur, per accidens verò humidum non ſua natura, propter pluuias, aliaſq; in humorem mutationes, Caniculæ exortu contingentes, quæ aliquo temporis ſpatio poſtea perdurabant. neq; etiā vult humiditatem omnino dominari, ſed tantam ineſſe, quanta ſatis ſit ad plantarum pullulationem. quæ profectò humiditas quemadmodum per accidens fit, ita paucis poſt diebus abſumitur, ac interit; cumq; ſiccitas permaneat accedēte frigore ſolis abſceſsu, qui totus eſt in hyeme producenda, verum ac proprium autumni temperamentum oritur, eius videlicet partis, quæ incipiens aliquibus diebus poſt Arcturum, protenditur ad Vergiliarū vſq; occaſum. Et ſanè iſti, qui ſic incuſant Theophraſtum, ſciant velim, primum præceptorem reprehendere, qui eo in loco, quem ſupra attulimus, conſentiente Alexandro, in opora atq; Autumno iam aërem humidum reddi dixit. quin etiam & fortaſſe Hippocratem, qui multo antea eadem videtur attuliſſe libello de Aëre, Aquis, & Locis & 3. Aphoriſmorum (quibus in locis à temporis intemperie euenturas infirmitates præſagiens, poſtquam
» dixit ἢν δὲ τὸ θέρος αὐχμηρὸν γένηται καὶ βόρειον, &c. paulo infrà repetens de autumno vocem βόρειον, quam æſtati tribuerat, haud quaquam repetere voluit alteram αὐχμηρὸν, verum eius loco poſuit ἄνυδρον, reſpiciens, vt ipſe exiſtimo, miro quodam artificio illa humoris ſemina, vt ſic loquar, quæ oriente Canicula in aëre exoriuntur: quæ profectò, ſicuti autumnum dici αὐχμηρὸν non permittunt, ita non tollunt, quin, ſi non cadant imbres, idem ipſe autumnus ἄνυδρος appelletur, imo & colophonem addens Heſiodo teſte, dicam antiquiſsimam fuiſſe hanc opinionem initium autumni eſſe calidum ac humidum, quemadmodum ex ipſius carmi-

nibus habetur 2. de Ope. & Dieb. quæ ſupra ad aliam ſententiam probandam adduximus.

Ημος δὴ λήγει μένος ὀξέος ἠελίοιο
Καύματος ἰδαλίμου μετοπωρινὸν ὀμβρήσαντος
Ζηνὸς ἐρισθενέος.

Quum itaq; iam deſinit robur acuti ſolis
Calore humido per autumnum pluente
Ioue præpotente.

Ex quibus, quamuis alia ſit Procli, Moſcopoliq; mens, ſatis colligi poteſt ex illis verbis, καύματος ἰδαλίμου, Heſiodum crediſſe ſolis calorem autumni initio coniunctam habere humiditatem, quam primæ pluuiæ autumnales progignere ſolent. Verum quod pertinet ad mutationes, quæ in humidam naturam Syrio exoriente fiunt, prætereundum non
,, eſt, quod Plinius lib. 2. refert, cuius hæc ſunt verba. Nam
,, Caniculæ exortu accendi ſolis vapores quis ignorat? cuius
,, ſyderis effectus ampliſsimi in terra ſentiuntur; feruent ma-
,, ria exoriente eo, fluctuant in cellis vina, mouentur ſtagna. & c. quibus verbis reſpondent ea, quę Ariſtoteles ſcripſit 8. de Hiſt. anim. cap. 15. vbi narrat, aliquorum ſyderum exortu vberes piſcationes fieri, præſertim cum Syrius exoritur; quia tunc mare maximis motibus agitatur, vt in Boſphoro præſertim videre eſt. cauſam verò harum mutationum, quæ emergente Cane conſpiciuntur, non eſt hic locus demonſtrandi: dicam tantum, eam, quæ ad pluuias pertinet, in Auſtros à Theophraſto referri, qui ſolent, cū Syrius exoritur, ſpirare ingentes, et commoueri; hi verò, vt eorum eſt natura, plurimos afferunt imbres. Cur autem potiſsimum hi venti exoriente hoc ſydere excitentur, explicatur à Theophraſto in libello de ventis tex. 45. & à præceptore in problem. 11. & 32. ſect. 26. de qua re nos plura in annotationibus ſuper locum illum. Iam verò ni fallor ſatis ſuperq; probatum eſt Theophraſti verba, quod ad primam eorum partem attinet, vera eſſe, in qua de ortu Orionis diſputatur; cum ſatis monſtratū ſit eius ſeculo, quemadmodum Theophraſtus ſcriptum reliquit, principio oporæ totam imaginem conſpiciendam ſe prebuiſſe; vnde manifeſtum eſt etiam

vt Theophraſti verba à Vicomercati calumnijs vindicemus, nihil opus eſſe, vt nonnulli crediderunt, ad acronychum Orionis ortum confugere, ac ſi Theophraſtus de illo verba feciſſet: cum ipſe eum exortum præſeferat, qui principio oporæ contingebat, quo tempore ſol in Cancro vehebatur, ac Leone; cum alioqui acronychus exortus tunc eſſet, cum Sagittarij ſignum tenebat.

*Secundum diſputationis membrum exponitur, hoc eſt Orionem ætate Theophraſti principio hyemis, occidiſſe. item quid proprie χειμῶν ſignificet aperitur; & cur hyems bruma dicatur. Cap. VIII.*

SVpereſt nunc alterius membri veritatem demonſtrare, nempe Orionem occidiſſe principio hyemis; verum antequam vlterius progrediamur, animaduertendum eſt, Theophraſti verba, non ſecus de occaſu totius Orionis explicanda eſſe, ac de eiuſdem integro exortu. nõ enim veriſimile eſt nec probabile, cũ de Orionis exortu diſputat, tempus eum accipere, quo totus Orion deſinebat apparere; cum verò de eiuſdem occaſu loquitur, tantumodo illud, quo occultari iã incipiebat. quãquã, nec illis valde repugnarem, qui Theophraſti verba de tempore, quo Oriõ mergi incipiebat, omnino interpretanda eſſe, mordicus tueri vellent, cum dixit, ineunte verò hyeme occidit & c. quaſi Heſiodum imitatus, conſilium fuerit illius Vergiliarum occaſum innuere, ac flatus illos, qui tunc temporis excitabantur. ſcribit nanq; Hæſiodus ſecundo Oper. vt inferius ſuo loco planum faciam, varios incertoſq; ac vehementes ventos ſurgere conſueuiſſe, cum Vergiliæ robur validum Orionis fugientes occumbebant; quæ ſententia, de initio tantum occaſus Orionis veritatem habet, quoniam eodem tempore, quò Vergiliæ mergebantur, Pes Orionis ſiniſter occultari incipiebat, quæ ſtella prima erat totius imaginis ad occumbendum. verum ob rationem ſuperius allatam explicatio prior mihi magis arridet. Ad hæc conſiderandum etiã eſt hyemem duo principia habere apud Græ-

eos autores veluti & æſtatem, vnum à Vergiliarum occaſu, alterum verò à Brumæ ſolſtitio; quapropter illa vox χειμών, niſi aliquid aliud ei addatur, de vtroq; principio accipi poteſt, ita vt, cum dicat Theophraſtus ſimpliciter; occidit autē hyemis initio, videndum ſit, de quo nam principio ipſe loquatur; aut de eo quod ſumitur à Vergiliarū occaſu, aut de altero. mea hęc eſt ſententia, de illa hyemis parte eum loqui, quæ incipit ſole ingrediente Capricorni principium, ſiue paulo antea. ratio eſt. quia ſępe ac ſępius gręci autores tantummodo vocē, χειμών, ponētes abſq; vllo adiuncto nomine, de ea potiſsimum parte hyemis loquūtur, quæ vna cum ſolſtitio notatur; quod vt clarius intelligamus, animaduertendū eſt, quamquā hyems à probatiſsimis autoribus antiquitus diuiſa fuerit in tres partes, quarum vna, vt vidimus, à Vergiliarum occaſu initium habebat; à brumali ſolſtitio altera; tertia verò à flatu Fauonio; ac vt generatim loquar, omne illud tēpus, quod inter Vergilias eſt, atq; vernū ęquinoctium hac voce χειμών veteres appellauerint: tamen, cum diſtinctius, ac explicatius loquebantur, partem hyemis primam ſub Vergilias, ſiue ſub Vergiliarum occaſum eos nuncupaſſe, alteram verò ſub brumalem conuerſionem, tertiam deniq; ſub Fauonium. Verum quia circa ſolſtitium hyemale, & ſequentibus diebus hyems maximè viget, ac propriæ illius qualitates tum maxime locum habēt, ex quo & Theophraſtus cap. 16. lib. 5. de Plantarum cauſis circa hybernū ſolſtitiū diebus quadraginta aërem penitus algere ſcripſit, atq; hos dies Præceptor cap: 15. octaui lib. de Animal. hiſt. χειμεριωτάτας ἡμέρας, niſi fallor appellauit; hac de cauſa partem hanc ijdem per excellentiam χειμῶνα præcipue dixere: qua voce inſinuantur nobis dies illi, qui circa hyemale ſolſtitium ac prope ſunt. quod totum veriſsimum eſſe comprobat Hippocratis autoritas Epidem. primo vbi ita inquit,
„ ὑπὸ δὲ χειμῶνα περὶ ἡλίου τροπὰς χειμερινὰς, καὶ μέχρις ἰσημε-
„ ρίης. hoc eſt ſub hyemem circa hyemales conuerſiones, &
„ vſq; ad æquinoctium. quibus ſatis perſpicuum eſt, apud eundem idem eſſe, ſub hyemem, ac circa ſolſtitium, atq; ob id vocem, χειμών, propriè, ac præcipue ſumptam dictum

tempus ſignificare. atq; ex hoc loco nobis exponitur ſententia eiuſdem, vbi in principio citati libri, perſpicue diſtinguens tempus illud, quod χειμῶνα appellauit, ab a-
„ lio quod ὑπὸ πληϊάδα nuncupauit, ſic inquit, ὑπὸ πληϊάδα
„ ὕδατα πουλλά, ξυνεχέα, μαλθακά, ὡς ἐν νοτίοισι. χειμὼν νότιος.
„ σμικρὰ πνεύματα βόρεια, αὐχμοί. id eſt ſub Vergilias aquæ
„ multæ, continuæ, iuges, vtpotè ſpirantibus Auſtris factæ;
„ hyems auſtrina, boreales ſpiritus pauci, ſquallores. luce enim clarius eſt, cum Hippocrates dicat hyeme fuiſſe maximas ſiccitates, aliquoſuè flatus boreales ſpiraſſe, quamuis paucos, aperte hanc partem ſegregare ab alia, quam ὑπὸ πληϊάδα ipſe vocat; in qua nequaquam boreales flatus ſpiraſſe inquit, nec ſiccitates fuiſſe, verum è contra auſtrinos, ſecum ferentes multas, continuaſue pluuias, perflaſſe, idem ipſe eſt autor. quamobrem dicendum erit voce χειμὼν, ni fallor, voluiſſe eam hyemis partem inſinuare, quæ ſolſtitio notatur. id ipſum expreſsit in ſecundo ſtatu affirmans, paulo ante Autumnũ vſq; ad Vergilias pluuias crebras fuiſſe atq; præpoſteras tempeſtates, repentinamq; ventorũ mutationem modo ex auſtrinis in boreales, rurſus ex his in auſtrinos, intemperiemq; hanc perduraſſe etiam ſub Vergilias, poſtea verò hyemem borealem fuiſſe. & mox alteris illis verbis, tertij ſtatus, vbi dicit, fuiſſe ad Vergilias vſq; paucos imbres & auſtrales, hyemem verò ſiccam extitiſſe & aquiloniam. quibus in locis compertiſsimũ eſt, Hippocratem diſtinguere tempus illud, quod ipſe vocat χειμῶνα, ab eo, quod ab eodem exprimitur voce illa ὑπὸ πληϊάδα. quãobrem ex his Galenus ſuis in commentarijs ſuper hunc librum innuit, quemadmodum ex ipſius verbis aliqui doctiſſimi viri noſtræ ætatis venati ſunt, tempus circa ſolſtitium proprie ab Hippocrate χειμῶνα appellari. locus verò ibi eſt, vbi pertractans hyemis totius diuiſionem ad mentem Hippocratis, atq; in tres partes ſecans, dixit alias duas ſementarium, & plantarium vocari. Quod etiam veriſsimum eſſe ex antiquorum poetarũ monumentis comprobare poſſumus; cum non ob aliam cauſam, ni hallucinor, Simonides in illis carminibus, quæ citat preceptor v. de Hiſt. animalium

um cap. 8. menſem in quo contingit ſolſtitium χειμερινὸν μη-νὰ, vocauit, niſi quia tunc temporis illa pars anni locum habet, quæ χειμὼν propiè dicitur. Vergilius etiam cum primo Georgicorum ita cecinit.

Humida ſolſtitia, atq; hyemes orate ſerenas
Agricolæ.

nonne clariſsimum eſt, quando vocem, hyemes, contra ponit alteri, ſolſtitia; qua ſignificare voluit æſtiuam conuerſionem; vocaſſe Brumæ ſolſtitium hyemes? idq; non alia de cauſa, niſi quia tunc illa pars anni, quæ propriæ hyems dicitur, erat. Quamobrem idem alibi 2. Aeneid.

Frigida ſub Terra tumidum quem Bruma tegebat.

ponit vocem Bruma, hoc eſt Capricorni ſolſtitium, vt notat Seruius loco huius, hyems. dixitq; Brumam ſignificare nobis ſolſtitium Capricorni; qnoniam veteres hoc anni tempus, quia breuiſsimus tunc dies exiſtat, vt teſtis eſt Macrobius primo Saturnalium, hac voce appellarunt. Brumam inquit ille à breuitate dierum cognominantes id eſt, βραχὺ ἦμαρ, quem locum cum perpenderet Iſidorus 5. Orig. addidit eadem de cauſa hyemem brumam dici. ex quibus neceſſario ſequitur; quod ſi hyems proprie ſumpta, ea anni pars dicitur, quam eiuſdem breuiſsimi dies metiuntur, & hanc ob cauſam Bruma appellatur; breuiſsimiq; dies ſunt circiter Capricorni ſolſtitium, tempus quod circa hoc ſolſtitium eſt, hyemem proprie vocari. Idipſum etiam innuere mihi videtur doctiſsimus Iacobus Mazonius cap. 22. tertij libri ſuæ Apologiæ, vbi ponit carmina Vergilij, quæ nos ſupra citauimus; quo in operæ ſatis ſuperq; complectitur encyclopediam quandam omnium artium, atq; diuinarum humanarumq; rerum ſcientiam: vir quidem noſtra ætate ad miraculum vſq; ſuſpiciendus; cuiuſq; aliquando fuiſſe diſcipulum mirifice glorior.

*Fuſius*

*Fuſius Theophraſti verba enarrantur, demonſtraturq; verè ipſum ſcriptum reliquiſſe hyemis initio occumbere Orionem conſueuiſſe. Cap. IX.*

SVppoſita hac igitur veritate facile erit verum germanumq; ſenſum verborum Theophraſti elicere. nam cũ ſupra ſatis ſuperq; oſtenderimus, Orionem ſuo eculo ad dies 15. ante Brumę ſolſtitiũ occidere conſueuiſſe; cum aſſerendum ſit, hyemem proprie dictam, totidem fere antea diebus incipere, totidemq; poſtea perdurare, vel paulo pluris; nimirum ſi Theophraſto credimus diebus viginti ante, totidemq; poſt, (qui circa ſolſtitium frigus & hyemem diebus circiter quadraginta vigere ſcripſit,) ſi tempus illud vniuerſum, vt auctores grauiſsimi, quos ſupra recenſuimus, docuerũt, hyems proprie eſt, quod circa hybernam eſt conuerſionem; perſpicuum eſt, cum Theophraſtus ſcriptis mandauit ſua ætate Orionem ocidere ἀρχῇ χειμῶνος, ſignificare voluiſſe, totum hoc aſtrum occumbere principio illius partis anni, quæ propriè χειμών appellatur; videlicet circiter dies 14. aut. 15. ante Brumale ſolſtitiũ. Hancq; eſſe veram ac propriam verborum Theophraſti explicationem ſatis ſuperq; oſtenditur, cum vix poſsimus, ſi ſecus locum explicauerimus, à falſitate ea defendere. nã ſi dicendũ eſt, quemadmodum à principio ſuppoſitum fuit, illum verba facere de occaſu apparente totius Orionis, eo quod de exortu apparente totius imaginis ſermonem ſupra habuerit; haud quaquam verum eſſet eiuſmodi aſpectum contigiſſe hyemis initio, vt Theophraſtus docet, ſi aliam hyemis partem acciperemus ab illa, quam ſupra explicauimus; cum nequaquam hyemis initio, quæ à Vergilijs incipit, totus Orion occideret, quin potius tunc occumbere totus inciperet, cum Pes eiuſdem ſiniſter, (quæ ſtella prior totius imaginis occumbebat,) per id temporis, quemadmodum dictum eſt, occaſum matutinum verum efficeret cum partibus 3. 15. Tauri; quod erat ad 28. & 29. Octob. ſole oppoſitum punctum ingrediente, nec priuſquam diebus 13. ante occaſum Vergiliarum; occaſum verò matutinum apparentem, idem

ipſe

ipſe ſiniſter Pes abſolueret ſub Vergilijs ipſis. neq; ad occaſum verum totius Orionis confugiendum eſt,( qui aſpectus ſole in partibus 24.48. Scorpij deiecto obtingebat, nec tardius quàm dierum 12. poſt Vergiliarũ occaſum) . enimuerò Theophraſtus de apparente tantum intellexit, nõ de vero, vt ſuperius ex eiuſdẽ verbis probatũ eſt. Quamobrẽ cõcludẽdum erit, cum de occaſu apparẽte totius imaginis verba faciat, eiuſmodiq; aſpectus tunc fieret cum ſequente duarum Collorobi, quando ſol ingrediebatur grad. 15. 48. Sagittarij, hoc eſt 8. aut 9. Decemb. & circiter dies 14. 15. ante ſolſtitium hyemale; de eo iuremerito ſcripſiſſe Theophraſtum, ipſum hyemis initio contigiſſe, hoc eſt illius partis initio, quam nobis affert ſolſtitiũ; quę eſt, vti ſupra iam diximus, proprie hyems. qui aſpectus cum eſſet quaſi diebus 30. poſt Vergilias, atq; ob eandem cauſam, poſt eius hyemis initiũ, quæ incipit cum earundem occaſu, Theophraſtus nequaquam affirmare poterat, niſi manifeſtiſsime à veritate diſcedens, tunc eum contigiſſe. Neq; alia mens fuit Ariſtotelis prob. 12. vbi eandem quæſtionem pertractans, poſtquam dixit, Orionem exoriri oporæ initio, ſtatim ſubdidit, relinquens vocem illam ἀρχῇ, δύνει δὲ χειμῶνος, hoc eſt occidit autem hyeme. innuens, ni fallor, Orionem occumbere hyeme proprie accepta, nimirum circa ſolſtitium, conſequenterq; in mutatione, quam ipſum ſolſtitium ſecum affert. quæ expoſitio, ſi vera non eſt, fatendum erit illo in loco præceptorem nil probare, eorum quæ propoſuerat; quia non ſequitur, Orion hyeme occidit, ergo in temporum mutatione; verum alia ſignificatione rectè quidem conſequens erit, Orion occidit hyeme proprie accepta, ergo in temporum mutationibus. nam cũ circa ſolſtitiũ occũberet, meritò in temporis mutatione, quæ tunc eueniebat occumbere dicebatur. tandem ſi alicui hæc noſtra non placeret expoſitio, dicendum erit vt Theophraſti verba defendamus, cum Orion totus quindecim tantũ diebus antequam fiat ſolſtitium occideret ( quo tempore ob rationes ſupra allatas, cum de eiuſdem ortu locuti ſumus, locum habere poteſt, ac incipere mutatio, quæ ex ſolis ingreſſu ad pun-

ctum

ctum illum potiſsimum euenit) ob id autorem ſcriptum reliquiſſe Orionem occidere ἀρχῇ χειμῶνος, hyemale tempus accipiens, quod ſecundum Aſtrologorum atq; Philoſophorum opinionem incipit, cum ſol attingit iam punctum Capricorni; ac ſi dixiſſet, cum Orion paulo ante brumale ſolſtitium mergatur, quo cum hyems incipit, atq; eo tempore in quo hyemis temperies locum habere poteſt, conſequens eſſe principio hyemis Orionem occumbere: quod cum verũ ſit, quemadmodum certe tenendum eſt, ſatis ſuperq; declaratum erit, quod ſupra hoc ſecundo libro faciendũ propoſuimus, verba Theophraſti nullam falſitatem in ſe habere. quamobrem reliquum erit, vt de tertio huius diſputationis membro verba faciamus, in quo Vicomercati oppoſitiones, atq; difficultates è medio labefactandę veniunt, eiuſq; argumentationes diluendæ: verum quia, vt iam dictũ eſt, ſua opinio nititur auctoritate pręceptoris 2. Meteoron; operæpretium erit eius verba primum in medium afferre, atq; diſcutere, anteaquam Vicomercati obiectiones diſſoluamus. de his igitur omnibus tertio libro agemus.

FINIS.

L LIBER

# LIBER TERTIVS.

## CAPVT PRIMVM.

*Ponuntur Ariſtotelis verba, atq; ex Alexandri, & Olympiodori ſentẽtia explicantur. præfertur Alexandri expoſitio; rurſuſq; tota Ariſtotelis diſputatio quatuor maximis dubitationibus vocatur in dubium, aliaq; affertur interpretatio Olympiodori. Cap. I.*

ARiſtoteles poſtquam capite quarto 2. Meteor. generationis, motuſq; ventorum cauſas explicauit, eiuſmodi verba cap. 5. ponit, ſol autẽ vẽtos ſedat, & ciet; exhalationes enim, quæ paruæ, & debiles ſunt, ampliori ſuo calore tabefacit, cum minor ſit calor ille, qui in exhalationibus reperitur, & diſcernit; pręterea ipſam terram prius exſiccat, quàm in vnum collecta ſecretio orta fuerit, non ſecus ac ſi in magnum ignem materia combuſtioni idonea exigua incideret, antea ſępe deuritur, quàm fumum ædat. ob has igitur cauſas & ventos ſedat, & quo minus initio exoriantur prohibet: partim exiccatione ſedans, partim vero ſiccitatis celeritate prohibens gigni, quamobrem circa Orionis ortum maxime oritur tranquillitas vſq; ad Etheſias, & Prodromos. & paulo poſt inquit, incertus autem, & difficilis videtur eſſe Orion, & occumbens, & emergens, propterea quod occaſus, & emerſus in tempeſtatis mutatione contingit, ęſtatis, vel hyemis, atq; ob aſtri magnitudinem dierum fit aliqua pluralitas; omnium autem mutationes turbulentæ ſunt ob inconſtantiam. De primis verbis Olympiodorus; quem ſecutus eſt Ludouicus Buccaferra magnus noſtræ ætatis philoſophus, exiſtimat Ariſtotelem, cum prius egiſſet de ventorum motu, nunc de eorundem quiete agere, quæ proprie à grecis νηνεμία vocatur, hoc eſt quies, ſiue ceſſatio à ſpiratione; cum ne minima, vel lenis

aura

aura ſentitur. Verum hæc expoſitio apertiſsime contraria
» eſt primis philoſophi verbis, quibus inquiens, ſol autẽ vẽ-
» tos ſedat, & ciet & c. oſtendit non minus in ipſis pertracta-
ri de eorundem motu, quàm de quiete. idcirco probabilior
eſt Alexandri ſententia, quam omnes latini interpretes ſe-
cuti ſunt, nimirum Ariſtotelem verba facere quomodo ſol
aliquando augere ventos poſsit, efficereq;, vt vehementius
validiusque ſpirent; aliquando verò idem ſol à ſpiratione
eos ceſſare faciat; idq; nõ iniuria, cum admodum conueni-
ens eſſet, poſtquam iam explicauit cauſas motus atq; gene-
rationis eorum, modo docere, vnde etiam huius motus va-
rietas ortum duceret; quem modo magnum, modo exiguũ
exiſtere videmus, modo penitus deficere. Inquit igitur A-
riſtoteles, agens primo loco de cauſis, quare venti deſinant,
duobus modis id contingere; aut quia ſol, exhalationes ip-
ſas, quæ ventorum materia ſunt, debiles inueniens & exi-
guas, vehementi ſuo calore paucum earundem calorem ab-
ſumit; idq; locum habebit non ſolũ in illis exhalationibus,
quæ ſurſum euectæ adhuc obliquo non mouentur tramite,
nec venti ſunt, verum etiam in illis, quæ in orbem feruntur,
& iam ventorum naturam ac motum ſortitæ ſunt; quæ om-
nes à ſole vel exoriente, vel occidente, vel cęli culmen te-
nente abſumũtur, quemadmodum autor eſt Ariſt. ploblem.
36. part. 26. aut quia (non ſecus ac ſi in magnum ignem ma-
teria combuſtioni idonea exigua inciderit, ante ſępe deuri-
tur, quàm fumum ædat) præuenit ſol ſuo calore terram; atq;
prius exſiccat, quàm ipſa poſsit aliquam exhalationem gi-
gnere; quod maxime locum habet in illis exhalationibus,
quę iam iam producendę erant; non autem in illis, quę pri-
dem productæ ſunt; quare ſol ſuo calore ventorum genera-
tionem impedit potius quàm ſpirationem, cũ iam editi ſunt
& actu ſpirant. his de cauſis cõcludit præceptor vẽtos de-
» ficere, quod cum dixiſſet, ſubiungit poſtea. Quamobrẽ circa
» Orionis ortum maxime oritur tranquillitas vſq; ad Etheſias
» & Prodromos. quę verba, quia maximam pręſeferunt obſcu-
ritatem, idcirco interpretes in eorum explicatione, cum
obſcuri, tum varij ſunt. Primum enim haud ſatis apparet

quomodo ex ſuperiori diſputatione ſequatur, circa Orionis ortum, illam ventorum tranquillitatem eſſe oportere, quam dicit Ariſtoteles; & tamen particula illa, quamobrem, oſtendit ex vna ſaltem propoſitarum rationum conſequens eſſe, tunc temporis potiſsimum ventorum quietem locum habere debuiſſe. prӕterea cum prӕceptor paulo infra difficilem atq; incertum vocet Orionem emergentem, ob id, quia excitari tunc ſoleant difficiles incerti ve flatus, vt omnes exponunt, videtur paucis tantum interiectis verbis contraria protuliſſe; cum maxime pugnent inter ſe, primum aſſerere, Orionis exortu ventos prӕſertim deſinere; deinde paulo poſt eodem tempore ſpirare multos, vehementes, ac difficiles. inſuper, ſi Orion, vt teſtis eſt prӕceptor, ante Eteſias oriebatur, cuius exortu venti iam dicti excitabantur, perdifficile admodum cognitu eſt, quomodo tranquillitas illa, ac defectus ventorum locum habere poterat ab Orione ad Eteſias ac Prodromos, cum tempore illo vniuerſo inter Orionem atq; Eteſias interiecto, quod Ariſtoteles tribuit tranquillitati, potius importuna vis illa ventorum flare debuiſſet, quӕ ortu Orionis ſpirare incipiebat. poſtremo diu multumq; expoſitores laborarunt, vt tempus inuenirent, in quo ex prӕceptoris mente oriretur Orion & dominaretur trãquillitas, & in quo etiam eodem exoriente excitarentur venti, quos commemorat. Olympiodorus retinens ſuam de hac re opinionem, hoc eſt Ariſtotelẽ hic de ventorũ quiete pertractare, vult ob id de Orione verba facere, quia eius exortu, atq; occaſu non modo venti excitari ſoliti ſint, verum etiam & quieſcere; quare primӕ obiectioni ſic reſponderet, idcirco de Orione mentionem fieri, quia contingat aliquando eius ortu ventos ſedari; ad ſecundam verò obiectionem diceret, nullam in Ariſt. verbis ineſſe contrarietatem, cum poſsit vtrauis res locum habere. ad tertiam verò, tunc vſq; ad Etheſias perdurare ventorum quietem, cum exortu Orionis regnare incipit. Poſtremę tandem occurreret, Orionem vere exoriri quando ſol in Tauro erat. ſed longe alia omnino mens eſt Ariſtotelis, de qua pluribus infra. Nunc ſatis hęc.

*Olympio-*

*Olympiodori explicatio reijcitur, affertur eiuſdem loci Alexandri explanatio, atq; Sueſſani Vicomercati, & Buccaferreæ autoritate repudiatur. eiuſdem Sueſſani interpretatio adducitur, & expenditur. Cap. II.*

QVantum diſtet iam ſupra allata expoſitio Olimpiodori à veritate, atq; à mente præceptoris, vel ex hoc conſpici poteſt, quod Ariſtoteles ſimpliciter atq; abſolute affirmat, Orionis exortu præcipue ventos deſinere conſueuiſſe, nec vllum quidem verbum facit de eorum motu. quamobrem dicendum erit, cum indefinita vniuerſali æquipolleat, quod eo tempore, quod exprimit, voluerit aut ſēper, aut vt plurimū vētorū eſſe trāquillitatē: neq; prima difficultas ab Olympiodoro obliteratur; cum enim Ariſtoteles, vt iam dictum eſt, poſuerit particulam, quamobrem, oſtendit ob allatas rationes quietem Orionis exortu ineſſe, nempe aut quia ſol ſuo calore calorem exhalationis deperderet, aut quia exſiccaret terram priuſquam vllam poſſet exhalationē gignere; quę duo locū non habent eo tempore, quò vult Olympiodorus Orionem oriri: cū ſol nequaquam ea vi tunc præditus ſit (quod ſenſu concipitur) vt poſsit ſiue exhalationes conſumere, quæ iam excitæ ſunt, ſiue impedire ne generētur. Hinc lōge abeſt à veritate, cauſas adducens tranquillitatis; cum adſtruere cogatur verno tempore, & ex conſequenti exortu Orionis ventos ceſſare, eo quod præterita hyeme tota iam materies abſumpta ſit, ex qua venti generantur, cū alioqui Ariſtoteles, ad ſolē vimq; eiuſdem omnia referat. Nec etiam ſecunda argumentatio profligata eſt, cū dicat Ariſt. his in verbis abſolute Orionis exortu vētos minime ſpirare, conſequenterq; vt plurimum aërē tunc quietum eſſe. quamobrē nullus relinquitur locus ſententiæ Olympiodori, vt poſsint aliquando ſpirare, aliquando verò minime: cui obſtant adhuc tertia, atq; quarta ratio, cum ad oſtendendam Ariſtotelicæ orationis veritatem, demonſtrare neceſſe ſit, quomodo verum eſſe poſsit, Orionis exortu tranquillitatem eſſe, quę ſe ad Etheſias vſq; extenderet, idq; tunc ſemper aut vt plurimum locum habuiſſe,

buiſſe, rurſuſq; eiuſdem Orionis exortu plurimos excitari vẽtos, eoſdemq; inconſtantes & incertos ſemper, vel vt plurimum conſueuiſſe; quę adhuc latent, Olympiodori explicatione recepta, qui profectò ſupponens exortu Orionis flatus deficere, neq; huius defectus aliã rationem reddens, præter hanc vnam, quod ſcilicet præterita hyeme omnem exhalationem conſumptam fuiſſe affirmat, oſtendit caſu potius, quàm certa quadam ac naturali ratione tunc temporis contigiſſe eorum defectum; cum alioqui Ariſtoteles veras ac proprias tranquillitatis, quæ per id tẽporis contingebat, cauſas eo loco doceat: præterquam quod, ſi Orion vere emergebat ad 24. Maij, ut ipſemet Olympiodorus affirmat, conſequens erat, vſq; ad Etheſias et Caniculam tunc perduraſſe tranquillitatẽ; quod temporis ſpatium duos menſes excedit: id quàm abſurdum ſit, alij viderint. Auerroes, atq; ex latinis magnus ille Albertus in eorum commentarijs, ne verbum quidem de hac re; at Alexander, quem potiſsimum D. Thomas & Gaietanus ſecuti ſunt, hac in parte ſigillatim de ſecũda difficultate mentionem faciens, vult, Ariſtotelem dixiſſe, ita flatus exortu Orionis defeciſſe, vt non ad unguẽ exortus tempore defeciſſe intellexerit, ſed paulo ante eius exortum, in exortu verò ſpirare ventos illos, quos commemorat; eius hæc ſunt verba. Quæret autem aliquis, quomodo, cum paulo ante dixerit circa Orionis ortum, potiſſimum fieri tranquillitatem. Nunc ait & Orione exorientẽ & occidente ventos difficiles, & incertos excitari; videbitur enim pugnantia protuliſſe. An non idem deſignatur tempus verbis illis circa Orionis exortum, & alteris illis Orion exoriẽs? quare nil prohibet trãquillitate facta ãte emerſum illius, in emerſu ipſo incertos, & hybernos flatus exoriri. Verũ cõtra Alexãdri interpætationẽ ſic diſputant, eam refellentes, Auguſtinus Sueſſanus, Franciſcus Vicomercatus ac Ludouicus Buccaferra. Ariſt. enim in contextu exprimit hanc tranquillitatem ad Etheſias vſq; perdurare, quod haud quaquã contingere poterat, ſi ante exortũ Orionis incepiſſet, ſicuti Alexander expoſuit, cum breui quidem ob ipſos flatus, qui in eius exortu excitãtur, eſſet interitura; quamobrem

brem ſecus eam explicare moliuntur, quamuis ex ipſis vnus ab altero, omneſq; inter ſe desſideant, ac diuerſam quiſq; ab vnoquoq; ſententiam ex hoc loco eliciat. Nam Auguſtinus Sueſſanus, vt omnem funditus contradictionem euellat, ponit tres exortũ ſpecies, coſmicum, qui ſit, quando ſtella oritur manè ante ſolem, acronychum alterum, quãdo veſperi poſt eiuſdem occaſum apparet; idq; duobus modis, aut quando ſtella in oriente conſpicitur, cum ſol occidit, aut quando in occidente viſitur poſt ſolis occaſũ; ſubiungitq; Ariſtotelem de orientali acronycho, vt ſic loquar, verba facere: qui aſpectus ſecundum illũ eueniebat, ſole Geminorum ſignum percurrente, quia tunc Orion cum Sagittario ſupra Athenarũ horizontem emergebat. ita enim in-
„ quit. Alius eſt Cronicus, quo ſtella oritur in nocte poſt ſo-
„ lis occaſum, & iſte duplex eſt, aut ex parte orientis, vtpotè
„ quando ſole occidente ſtella apparet in oriente, & hoc pacto
„ oritur Orion parum ante Etheſias, & Prodromos; ſole e-
„ nim tenente Geminos, & occumbẽte, Orion oritur de nocte
„ cum Sagittario ex parte orientis, & circa hunc fieri tran-
„ quillitates dixit. De occidentali verò acronycho vult Ariſtotelem verba facere paulo infra, vbi inquit Orionis emerſu ventos flare conſueuiſſe; nam vt inquit ille, eiuſmodi aſpectus ſole Libræ ſignum poſſidente eueniebat; nam tũc Orion in Sagittario exiſtens paulo poſt eius occaſum ap-
„ parebat; Auguſtini verba hæc ſunt. aut ex parte occidentis
„ & ſic Orion oritur ferè in principio autumni, quia ſole oc-
„ cumbente cum Libra, Orion apparet poſt ſolis occaſum
„ propè occidentem, & hoc modo dixit turbationes fieri cir-
„ ca ortum Orionis, quæ ſit in permutatione temporis. Hęc eſt Sueſſani opinio, qui licet magni nominis vir æque vè doctus, tamen paucis verbis lapſus eſt ad tres maximos errores: quorum primus eſt, quem memoriæ adſcribere poſſumus; quod cum velit Orionem naſci cum Sagittario, illum ponit in hoc ſigno vel non longe ab eo, cum tamen communis omnium Aſtrologorum ſententia, quam ſenſus ipſe comprobat, hanc imaginem potius in oppoſito loco ſtatuat, id eſt in Geminorũ ſigno, vel in Tauro, qua de

re

re neceſſe erit, vt cum his oriatur non cum Sagittario. ex his ſequitur etiam Orionem minime potuiſſe ortum acronychum facere, vt ipſe exiſtimat, orientalem, cum ſol Geminorum ſignum percurreret; neq; occidentalem cum Libram teneret. Secundus error eſt, quia haud quaquam veriſimile eſt, (quod etiam Buccaferra animaduertit) Ariſtotelem tam breui interuallo tam magna æquiuocatione fuiſſe vſum, ſicuti hęc ipſa eſſet, ſi vnica voce diuerſum eiuſdem exortum accepiſſet. Tertius verò error eſt, quia aſtrologicæ ſcholæ terminos confundit, cum ortus coſmicus is ſit, quando ſtella cum ſole oritur, non autem cum antea apparet; item nec poſsit vllo pacto ortus acronychus appellari, quātū ad fixas ſtellas pertinet ille ipſe, quem in occidente fieri exiſtimat, imo potius occaſus: nam quemadmodū Ptolemęus in Almageſto docet, tres ſuperiores planetæ (quod maxime contingit etiam ſtellis fixis) nullum alium aſpectum efficere poſſunt, quàm occultationem, quando occidentales ſunt à ſole in ſequentibus ſignis, ac in occidentis angulo; quæ ab ipſo dicta fuit propriè ἑσπερία κρύψις, aut ἐπικατάδυσις φαινομένη: quando verò orientales ſunt, in antecedentibus ſignis, atq; in oriente, emerſionem. Quem verò Sueſſanus veſpertinum exortum dicit, nimirum quando ſtella, ac ſol ſeſe mergunt locum non habet, niſi in Venere atq; Mercurio, cum ob velocitatem eorum motuum, tum quia parum abſunt à ſole, circa quem varijs ac multis modis inuoluuntur: quamobrem verum erit, ſi exempli gratia ſol in Libra Venuſq; ſiue Mercurius in vltimis Libræ partibus vel in Scorpionis initio ſit, horum alterum oriri poſſe ortu veſpertino, quia poterunt, vbi aliquantulū proceſſerunt à congreſſu & ab apogeo Epicycli in conſequentia è radijs ſolaribus exeuntes, cum ab eo diſcedant, emerſionem, ſiue ortum veſpertinum vt vocant, efficere. verum ſi aliqua ſtellarum fixarū ibi eſſet, aut vnus ex tribus ſuperioribus planetis, id cōtingere minime poſſet, cum potius è contra ipſi motus ſui tarditate præueniātur à ſole atq; à ſuis radijs breui tegantur: qua de re dicuntur eſſe proximæ occultationi veſpertinæ. & meminiſſe poterat Sueſſanus ſe legiſſe apud Ptolemæum in

8. lib.

8. lib. Almageſti, cum de nona ſpecie aſpectuũ loqueretur, quos fixæ ſtellæ cum ſole efficiunt; quæ vocata ab eo fuit, vt iã ſupra allatum eſt, ab vtriuſq; ſitu in occidente ὀψινος λίψ, tres illos modos occaſuum, quos memorat, nunquam exortus, occaſus verò ſemper ab eo fuiſſe appellatos. verũ circa huius viri opinionem longior non ero, cum ſatis ſuperq; oſtenderim, vt mihi perſuadeo, quantum ab ipſa veritate atq; ab huius loci ſententia abhorreat; quam ſanè veritatẽ ea tãtum in parte attingit, dum ſcribit, tunc ortũ Orionis potiſſimum fuiſſe, cum ſol maximas vires haberet, idq; Ariſtotelis verba ſignificaſſe.

*Ponitur Vicomercati Buccaferreæq; opinio & reijcitur, Olympiodoriq; verba expenduntur, & redarguuntur. Cap. III.*

VIcomercatus autem, quamuis circa primam difficultatem optimè ſe gerat, rationem adducens, quomodo ex allatis argumentationibus Orionis ortu flatus quieſcere, quietemq; eorundem ad Eteſias vſq; perdurare ſequatur; quæ quidem eiuſmodi eſt; quia Orion oriebatur eo tempore, quo ſol multo eius calore exhalationes omnes excitatas vim habebat conſumendi, neq; ob terræ ſiccitatem aliæ poterant generari, quocirca neceſſarium erat, tunc quietem ventorum locum habere; tamen cum voluerit poſtea Orionem naſci cũ ſol, vel extremam Tauri partem, vel primam Geminorum teneret, videtur ſibi ipſi contrarius eſſe. quando ſole illas obliqui circuli partes peragrante non poſſit illius calor tãta vi præditus eſſe, vt valeat iam generatas exhalationes abſumere; ſiue exſiccando terram impedire, quo minus nouæ emittantur: quod quidem ſatis commode facit ipſe ſol Cãcrũ poſſidens ex mente præceptoris. Pręterea in altera difficultate cęteriſuè, quæ ſequuntur, lõge abeſt ab ipſa veritate, cum velit, vt tollat omnem contradictionem, Ariſtotelem quãdo dixit, circa Orionis ortum fieri tranquillitatem, ita intellexiſſe, vt poſtea; fieret; cum verò dixit paulo infra, exortu eiuſdẽ flare ventos, accepiſſe tunc tẽpus illud præciſe in quo apparebat,

adeo quòd inquit ille; eſſe poterit, (vt in ipſo, vt ſic loquar,)
inſtanti exortus Orionis, locum habeat hæc commotio,
pauloue poſtquàm emerſus fuerit, ſtatim venti ceſſent, atq;
ad Eteſias vſq; quies hęc dominetur. Verum quantum hęc
eius expoſitio à veritate ipſa diſcedat, ipſiſsima Ariſtotelis
verba fidem nobis faciunt, quibus cum mirum in modum
contra pugnat. pręterquam quod parum differat dicere, cir-
,, ca Orionis exortum, & Orion exoriens; cum hi duo loquēdi
modi ſatis commodè exprimere poſsint actū ipſū exoriēdi
Orionis. quamobrē dicente Ariſtotele circa eius exortū vē-
tos deficere, non video quomodo abſq; conſpicua verborū
inuerſione dici poſsit, eum accepiſſe tempus illud quod ſe-
quebatur. pręterea cum hæc ventorum turbatio, quæ exor-
tu Orionis incipiebat, perdurare deberet ex Ariſtotelis mē-
te ſecundū Vicomercati ſententiā ad multos dies, quòd illis
,, in verbis ipſe videtur aſſeruiſſe, Atq; ob magnitudinē aſtri
,, dierum ſit aliqua pluralitas; neceſſe erit fateri non ſolū O-
rionis exortu, verum etiam multis inde diebus ventos illos
flauiſſe, qui tunc inceperant: quare aſſerendum erit
poſt Orionis ortum æque ventos dominatos eſſe, atq; quie-
tem. quæ ſi poſt multos dies ab eius exortu incipiebat, ne-
quaquam verum erit, eam habuiſſe initiū circa illū, quemad-
modum tamen Ariſtoteles ponit. Ludouicus Buccaferrea
ſecundę obiectioni reſpōdens, inquit Ariſtotelem accipere
coſmicū ortum, qui duobus modis fit, perfecte atq; imper-
fecte: perfectum verò exortum illum eſſe dicit, quando tota
imago vna cum ſole oritur, imperfectū verò quando prima
eiuſdē ſtella oriri incipit cum eo; qua poſita diſtinctione,
ſic Ariſtotelem exponit, vt velit, illum, quando inquit exor-
tu Orionis vētos excitari, imperfectū exortū accipere, quē
Buccaferrea fieri Maij menſe cū ſol Taurū tenet, credit, ſe-
cutus pro parte Olympiodorū. cum verò dixit eiuſdē ortu
eſſe tranquillitatē perfectum intelligere, qui eueniebat ad
tertiā diem Iulij; ab eoq; ad Eteſias vſq;, qui ſuſcitaban-
tur circa decimamſeptimam eiuſdem menſis, regnare iam
dictam tranquillitatem. Verū quantū Buccaferrea aberret
pręter id qđ in Vicomercatū attulimus, hinc cōſpicue co-
gnoſci-

gnoſcimus. Nam Ariſtoteles verbis illis, quę ſequuntur, vbi vocat Orionem, difficilem atq; incertum, loquitur de apparente exortu; non autem de coſmico ac vero, quemadmodũ credit Buccaferrea. nam ſi non ita eſſet, nequaquam ratio Ariſtotelis locum haberet, quæ probat Orionis exortu eos ventos ſpiraſſe, quia in mutatione contingebat æſtatis: quæ verba cũ duplicẽ ſensũ recipere poſsint, hoc eſt, aut in mutatione æſtatis in alterũ tempus, aut alterius in æſtatẽ; cum ſol peragrat Taurũ, neq; hoc, neq; illud verum eſſe poteſt, prẹſertim ſi ãni tempora, eiuſdẽ ſolis ingreſſu in cardinalia puncta vt Buccaferrea facit, dimetiamur. immo cũ ſol exiſtat tunc inter æquinoctium ac ſolſtitium, dicendum erit, aërem longe abeſſe ab omni mutatione atq; certum conſtanſq; temperamentũ afferre. Iam verò neq; inter eos cõuenit melius, vt reor, quid ſignificent altera Ariſtotelis ver-
„ ba. Incertus autẽ & difficilis Orion eſſe videtur & occum-
„ bens & emergens. &c. Olympiodorus enim in ea opinione fuit, vt mentio in his fieret de ortu Orionis, quatenus interdum ſolet eum commitari inordinata ventorum cohors, quemadmodum, inquit ipſe in ſuperioribus verbis locutus fuit Ariſtoteles de Orionis ortu, quatenus tranquillitatem efficiebat. Verum hæc vt iam oſtendimus longiſſime abſunt à veritate ipſa, atq; à mente præceptoris, ſicuti & ea, quæ de Orionis ortu ſubiungit non magis cum ve-
„ ritate conſentiunt, ita inquiens. Dicit incertum grauemq;
„ eſſe Orionem, id eſt inordinatus atq; inæqualis ortus eſt, &
„ occaſus Orionis, ideoq; ventos quandoq; auget, quandoq;
„ comprimit, inæqualis verò ob hanc cauſam eſt, quod inæ-
„ qualibus tẽporibus profert cęlo faciẽ, & aſpectũ ſuum; ipſi-
„ us nanq; ortus vere naſcitur, cũ ſol in Tauro conſiſtit, ideoq;
„ & nautę omnes Pachon quartũ & vigeſimũ obſeruãt diẽ, tũ
„ cum naſcitur Orion, quẽ diẽ pachitim ab eo nominant quod
„ in Pachon ortus fuerit. Occultatio verò ipſius autumno fit
„ Scorpionẽ obtinẽte ſole. Quę verba operępretiũ eſt vt attẽtius expendamus, cũ Vicomercatus aſſeueret hæc, germanã huius loci expoſitionem cõtinere. Olympiodorus igitur, vt videre eſt, vult Orionem oriri ad 24. diem menſis Pachon

quando ſol eſt in Tauro id eſt ad diem 24. Maij, is enim eſt quem Aegyptij Pachon vocant, perinde ac teſtis eſt Tzetzes in cõmẽtarijs in Hęſiodi op. & di. vbi cõmemorat quemadmodum partes ſingulæ duodecim totius anni, quas nos mẽſes vocamus, ab Aegyptijs, Romanis, Græcis, Atheniẽſibus, atq; Hebreis dicantur: & quamuis aſſerendum eſſet Olympiodorum loqui de apparente ortu, cum in græco contextu reperiatur illa vox ἐπιτολὴ, tamen quia ipſe hac in parte terminos cõfundit, vt infra apparet, vbi de Syrio verba faciens, vult hanc vocem, ſecus atq; Proclus, Ptolemæus, & alij de meliori nota autores, ſignificare etiam verum exortũ; dicẽdum erit, de vero Orionis ortu eum intelligere, ac de tempore, quo apparere incipiebat. eoq; magis quia, vt in ſecundo huius noſtræ diſputationis libro probauimus, Theophraſti, Ariſtoteliſq; ſeculo oriri incipiebat Orion cum prima Clypei cum gr. 26.56. Tauri; in quod ſignũ ſol ingrediebatur die 24. menſis Pachon, quo tempore ex Olympiodori ſententia ortus erat Orionis. Quapropter cum Ariſtoteles hæc poſtrema verba de apparenti exortu, non autem de vero protulerit, ſicuti infra videbimus, haud quaquã bona erit Olymdiodori expoſitio: pręterquàm quòd Ariſtoteles aperte docet Orionem naſci in mutatione ęſtatis, hincq; ratiocinatnr eius exortum fieri in temporũ mutationibus, nimirũ quando alterum tranſit in alterum ac mutatur; cum è contra Olympiodorus velit verno tempore eum exoriri, atq; inæqualitatem temporis, in quo apparebat, nequaquam contingere ob mutationem vnius temporis in aliud, verum ob
„ inæqualitatem veris: hæc ſunt eius verba. Quoniam igitur
„ diſparili inæqualiq; tempore refert cęlo aſpectum ſuum, vẽ-
„ torumq; flatu inæqualem aërem reddit, ſed quanquam ver
„ & autumnum inæqualia tempora appello, non ſimili tamen
„ ratione id dictum putes velim, magis enim ad inæquale ten-
„ dit natura autumni, quàm natura veris; quod non ſolum alienum eſt ab Ariſtotelis mente, verum etiam apertiſsime aduerſatur Hyppocrati, Galeno, ipſiq; ſenſui, cum hic quidem oſtendat, illi verò monimentis reliquerint ſuis, vernum tempus maxime temperatum eſſe, longeq; abeſſe ab

„ omni inæqualitate. quocirca Hippocrates illud appellat ſaluberrimum, & minus mortiferum; vt preteream me ne ſuſpicari quidem poſſe, quonam pacto menſe Maij tranquillitas incipere valeat, atq; tam longo tempore perdurare, quemadmodum eſſet vſq; ad Eteſias, qui poſt Syrium ſpirare incipiunt.

*Latinorum opinio ponitur atq; explicatur, reijciturq; Vicomercatus.* Cap. IIII.

ALbertus Magnus, D. Thomas omneſq; latini, quos ſequitur Buccaferrea, præter vnum Vicomercatum, cum viderent Ariſtotelem propoſuiſſe duo pertractanda, quomodo ſol ceſſare ventos faciat, rurſus quomodo illos excitet, eorumq; motui vires addat; horumq; vnum abunde ſatis explicaſſe, & tranquillitatis rationes adduxiſſe, docuiſſeq; tempus quo ſolita eſſet fieri; arbitrati ſũt, hoc in loco de ſecũdo diſputationis mẽbro eũ verba facere, hoc eſt quomodo ſol excitet vimq; incutiat ventis: hancq; eorũ opinionẽ fulcire conati ſunt Alexandri auctoritate, qui videtur eandem ſententiam habuiſſe ſuis in commentarijs. quam horum omnium opinionem, cum Franciſcus Vicomercatus tollere vellet, in vnum Alexandrum, tanquam in illius autorem, latinos relinquens, ita
„ inuehitur. Nec vt Alexander cenſet nunc docetur quomodo
„ à ſole venti excitãtur, cum ante traditum eſſet, per eundem
„ ſedari; nullus enim, vt patet, hoc in loco de ventorũ per ſo-
„ lem excitatione ſermo eſt. in reliquis verò, ſcilicet, de tempore exortus Orionis, atq; de repugnantia, quæ videtur ineſſe verbis Ariſtotelis, D. Thomas & Gaietanus ſecuti ſunt expoſitionem Alexandro attributam; hoc eſt Orionem exoriri principio autumni, trãquillitatemq; eſſe ante exortum, poſt verò ventos excitari. Sueſſanus verò atq; Buccaferrea quicquid noui addiderint, iã ſupra viſum fuit quantum ad propoſitã quæſtionẽ attinet; non .n. modo ea omnia recenſere conſilium eſt, quæ cũ ipſi, tum Albertus ante illos ſcripſere, ne longius quàm par ſit, protrahatur diſputatio.

Fran-

Franciſcus Vicomercatus perſiſtens in ſententia, quam ſibi ipſi perſuadet conſentire cum Olympiodori opinione; Vult Ariſtotelem, ( cũ iam ſupra dixiſſet circa Orionis ortum, maxime ventos ceſſare vſq; ad Eteſias, ) vt omnem dubitationem tollat, quæ oriri poſſet, cauſam afferre; cur licet circa Orionis exortũ .i. vt ipſemet exponit, poſt eiuſdem exortum regnaret vſq; ad Eteſias dicta tranquillitas, tamen in eius exortu multos inconſtanteſq; flatus ſpirare cõtingeret. verum, cum, vt ſupra iam probatũ eſt, haud germana ſit, hæc illius expoſitio circa primam eius partem, id eſt quòd poſt Orionis ortum tranquillitas fiat, neq; etiam vera erit ratio connexionis horum verborum cũ ſuperioribus. item defendi non poterit, quod de Orionis ortu ſubiungit, affirmans eum fieri, cũ ſol initium Geminorum ingrediebatur, & quemadmodum ipſe dicit in mutatione verni temporis in æſtatem. non enim video, quomodo, cum ſol ſit eo in loco, iam dicta mutatio fieri poſsit; cum potiſsimum accipiat temporum initium à ſolis motu, non autem ab ortu, atq; occaſu ſyderum, vt neceſſe eſt fateri, cũ ex ſuis ſcriptis ipſe mentem ſuam non aperiat. Quocirca falſum quoq; erit quod ſcribit de tempore occaſus Orionis, volens contingere circa mutationem autumni in hyemem, quando ſol eſt in Scorpione: cum hæc ipſa mutatio longo poſt tempore accidat, ac vt omnes probe norũt, circa brumæ ſolſtitiũ, veluti altera veris in æſtatem cum æſtiuo ſolſtitio: verum de aliorum opinione ſatis dictum.

*Vera interpretatio verborum Ariſtotelis affertur, Alexãdriq; expoſitio declaratur & defenditur, illiuſq; interpres reijcitur. quomodo venti à ſole augeantur & remittantur docetur.*

*Cap. V.*

HIs ita expoſitis, conſentaneum erit, modo vt quid ipſe ſentiam explicem; quod facere nõ auderem, cum præſertim probe norim, quæ mea ſit imbecillitas ingenij, vt poſsim ea recte explicare, quę præclariſsimi, ac doctiſsimi viri minime aſſequi potuere, niſi

niſi cognoſcerem, non meam, ſed Alexandri præſtantiſsimi philoſophi opinionem prȩmeferre; quam ipſe ſuis commentarijs expreſsit, immo & Theophraſti, à quo ille eã accepit. Ariſtoteles igitur cũ præcedenti capite docuerit cauſas generationis ventorum, ac eorundem motus, dixeritq; ſolem potiſsimum ſuo calore eos gignere, ac excitare; quinto capite volens oſtendere, ſicuti ſol eos producit, ac mouet, ita etiam vim illis auferre, iuxta ac tollere; proponit ſibi perſcrutandas cauſas, quamobrem id efficere poſsit: quaſi à ſole ipſi dependeant, tanquam ab eorum principio: quod non ſolum problemate 34. particulæ 26. dictum fuit; verum etiam ſapiens ille ſenex, Muſiſq; carus, à quo tam multa acceperunt antiquorum philoſophorum ſcholæ, in hymno ſolis perſpicue ſatis id docuit, quando ſolem effinxit ornatum veſte omnibus ventis mira arte contexta, ita canens.

καλὸν δὲ περὶ χροὶ λάμπεται ἔσθος,
λεπτουργὲς πνοιῇ ἀνέμων, & c.

Pulchra autem circa corpus fulget veſtis
Tenuiter contexta flatu ventorum, & c.

Vt autem propoſitam aſſertionem ſtatuat præceptor, primũ cauſas perquirens, quamobrem venti ceſſent, inquit, vt iam ſupra vidimus, ſolem id præſtare, cũ ſuo calore exhaurit eas exhalationes, quæ paucæ debileſue gignuntur; aut ita terram exſiccat, vt nullo pacto poſsint ex ipſa gigni. verum quando ſol id præſtare poſsit explicat ipſe Ariſtoteles eodẽ capite paulo infra, rationes adducens, cur Eteſiæ producantur poſt ſolſtitium, non autem antea, aut circa ſolſtitium
,, ipſum, vbi ita inquit. Eteſiæ autem poſt ſolſtitium, & ca-
,, nis exortum ſpirant, & non cum ſol maxime, aut propin-
,, quus eſt, aut remotus, & interdiù quidem ſpirant, noctu
,, autem deſinunt; cuius rei cauſa eſt quod cum prope adeſt,
,, ante exſiccet, quàm exhalatio exoriatur, cum autem paulu-
,, lum receſſerit, moderatus iam calor gignitur; ita vt aquæ
,, gelu concretȩ colliqueſcant; ac terra tum proprio, tum ſo-
,, lis calore exſiccata; veluti in fumum halitumq; abeat; quo loco Alexander, Olympiodorus, omnes deniq; cum græci tum latini expoſitores dicunt, neq; Eteſias, nec ventorum

vllum

vllum fieri in ſolſtitio, quia terra adeo arida eſt, ac humoris
expers, vt minime poſsit exhalationes producere; aut ſi pro-
ducat, paucas quidem; quæ cum debiles ſint, ſic confeſtim
etiam à ſolis calore conſumuntur: glacies verò, atq; niues
Aquilonem verſus conglaciatæ, ex quibus Eteſiæ produ-
cuntur, nequaquam diſſolui poſſunt, cum haud ſufficiens
calor adhuc ſit, qui tunc in aëre ſit, vt poſsit id præſtare:
quæuè paucę inde exhalant ſimili modo conſumuntur. quo-
circa dicendum erit, circa ſolſtitium ęſtiuum pauloq; ante,
aut poſt, tēpus eſſe in quo, cum locus ſit rationibus ab Ari-
ſtotele allatis, tranquillitas ventorum fiat. quod cum ipſe
„ docere voluerit, ita ſcriptum reliquit. διὸ περὶ ὠρίωνος ἀνα-
„ τολὴν μάλιστα γίνεται νηνεμία μέχρι τῶν ἐτησίων καὶ προδρόμων;
„ hoc eſt quamobrem circa Orionis ortū ſit maxime tranquil-
„ litas vſq; ad Eteſias & Prodromos; quibus verbis, cum de-
dita opera vſus ſit voce illa ἀνατολὴ, quæ ad differentiam
alterius ἐπιτολὴ, definitur à Proclo in Hęſiodum eſſe pro-
„ prie ἡ σὺν τῷ ἡλίῳ τῶν ἀστρῶν ἀναφορὰ, id eſt aſtrorum vna cū
„ ſole aſcenſus; quemadmodū & altera ἡ φανέρωσις τῶν ἀστρῶν
„ μετὰ τὴν κρύψιν τὴν ἡλιακὴν, id eſt aſtrorum apparitio poſt ſo-
„ larem occultationem: quod affirmauit etiam Ptolemæus,
& poſt illum Achilles Statius in ſcholijs ſuper Phenomena
„ Arati illis in verbis. vt ego interpretor; differt autem ana-
„ tole ab epitole, anatole.n. eſt ſtellę vna cū ſole ſupra Orizōtē
„ aſcenſus, epitole vero quando matutino tempore ſtella ori-
„ tur, & deinde poſt ipſam ſol emergit: conſulto inquam
cum vſus ſit illa voce ἀνατολὴ, perſpicue declarauit, ſe acci-
pere ortum Orionis verum, qui vt ſupra diximus, eo ſeculo
præcipue eueniebat cum primo Cancri gradu. quod perſpi-
ciens Alexander acutiſsimus huius loci interpres, inquit
„ connexionem verborum Ariſtotelis proſequens. Atq; has
„ quidem ob cauſas ſol ventos ſedat, interdū quidem eos ceſ-
„ ſans, ac diſcernens; exiguum exhalationum calorem, quæ
„ ſurſum allatæ ſunt, tabefaciēdo; interdum verò terram ex-
„ ſiccans principij ortum prohibendo. Nam & ob id inquit,
„ circa Orionis exortum, & vſq; ad prodromos, ſole nimirū ad
„ æſtiuas verſiones redeuntę fieri tranquillitatem. quo loco
ſatis

ſatis perſpicuum eſt Alexandrum intellexiſſe illum ortum Orionis, de quo pręceptor loquebatur, fieri ſolſtitio ęſtiuo conſueuiſſe. quocirca Theodorus Metochita, qui Themiſtij commentaria, ita in epitomen redegit, vt Themiſtius Alexandri, perſpicue in ſua paraphraſi aſſeruit Orionem circa æſtiuam conuerſionem exoriri; confirmaturq; autoritate Saluſtij, cuius ætate parum poterat varietatis ineſſe, qui idem ſcriptum reliquit, vt teſtis eſt Seruius V. Ae-
„ neid. his verbis. Nam, ait, cum ſubitò aſſurgens fluctu nim-
„ boſus Orion: qui oritur vt Saluſtius dicit iuxta ſolis æſtiui
„ pulſum: quod exponi debet, vt iam ſexcenties dictum eſt ſupra, de vero ortu totius Orionis; cum de illo tantum verum ſit eum contigiſſe, quando ſol Cancrum ingrediebatur. qua de re videre videor fore omnibus facile cognitu, cũ totus Orion tunc ortu vero appareret in puncto ęſtiuę cõuerſionis, quo tẽpore ſol non ſinit exſiccando terram, eam producere aliquam exhalationem, aut ſi quam iam paruam produxit, ſtatim eam conſumit, inremerito Ariſtotelem affirmare potuiſſe, circa illius exortũ pręcipue tranquillitatem oriri. neq; mirandum eſt, ſi clarre non expoſuerit ſe intellexiſſe de vero totius Orionis ortu, cum iã cauſam explicauerimus, quamobrẽ ipſi omneſq; alij, qui ea tempeſtate ſcripſere, adeo breues extiterint in hac materia pertractanda; prӕterquam quod voce illa ἀνατολὴ, vt iam dictum eſt, cuius eſt proprium ſignificare veros ſtellarum exortus, Ariſtoteles quàm optime indicauit de vero exortu Orionis non de altero verba facere. Iam verò cum cauſas tranquillitatis explicaſſet, vt propoſuerat, atq; tempus; idq; circa Orionis ortum eſſe, perdurareq; ad Eteſias vſq; & Prodromos dixiſſet; inſuper etiã cũ addidiſſet, à magno frigore, magnoq; calore eam gigni, ſimulq; docuiſſet, cur aliquando ipſa tranquillitas medijs temporibus fiat, quibus nec calor, nec frigus dominatur, ordo propoſitæ quæſtionis expoſtulare videbatur, vt quęreret, cur ſol ventos augeret: quod cum minime preſtiterit, ſaltem explicatè verbis ſupra citatis, id profecto fuit in cauſa, quamobrem vt dictum eſt, latini penè omnes affirmauerint hoc illum præſtitiſſe eo in lo-

co vbi difficilem, atq; inconſtantem Orionem appellans de eo verba facere incipit, in quo ſicuti Vicomercatus recte conſiderauit, ne verbum quidem. haud quaquam tamen rectè reprehenditur Alexander, vt iam viſum eſt, cum longe alia mens ſit ipſi, quàm Vicomercatus cæteriq; latini omnes opinati ſunt: cuius verba perperã accepta atq;, translata illis occaſionem præbuere hanc expoſitionem amplectendi, atq; Vicomercato eam incuſandi; quę ſi attente conſiderare velimus, non ſolum videbimus Alexãdrum nequaquã crediſſe Ariſtotelem hoc in loco ſecundum propoſitæ quæſtionis membrũ pertractare: verum per ſe quiſq; cauſam diſcere poterit, cur de eo expreſſe mentionem philoſophus non habuerit, quin potius eum prætermiſsiſſe videatur. Nam cum Alexãder prę manibus haberet explicanda hæc Ariſtotelis verba, in quibus à generali explicatione quietis, ac tranquillitatis ventorum ad aliquorum flatuum generationem, ac motum declarandum philoſophus deſcendens, videbatur non ſatis explicaſſe, vt iam ſibi propoſuerat, cauſas, quamobrem augeantur aliquando vi ſolis venti inter ſpirandum; de hac re iuremerito dubitat, dubitãſq; miram ſui pręceptoris methodum, artemq; aperit, ac ſimulq; oſtendit, quo ordine propoſitam ſibi materiam pertractauerit;
» Alexandri hæc eſt oratio. προθεὶς δύο, τό, τε τὸν ἥλιον παύειν
» τὰ πνέματα, καὶ πάλιν αὔξειν καὶ συνεξορμᾶν, περὶ τοῦ ἑτέρου μό-
» νον εἰπὼν, τοῦ πῶς παύει, τὸ ἕτερον παραλιπεῖν δοκεῖ. τὸ, πῶς
» συνεξορμᾷ. οὐ μὴν οὕτος ἔχει. ἀλλὰ δι᾽ ὧν ἐπιφέρει, δῆλον ποιεῖ,
» πότε καὶ πῶς ὁ ἥλιος συνεξορμᾷ τὰ πνεύματα. λέγει δὲ περὶ τοῦ
» ὠρίωνος, ὅτι ἄκριτος, καὶ χαλεπὸς δ᾽ ὠρίων εἶναι δοκεῖ, &c. .i.
» cum duo inueſtiganda propoſuiſſet, & ſolem ſedare ventos
» & rurſus eos augere impetumq; eis afferre. De altero nem-
» pe quo modo eos ſedet, cum dixerit, alterum illud præter-
» miſsiſſe videtur, quomodo eos augeat; At enimuero res non
» ita ſe habet, ſed per ea, quæ ex dictis infert, manifeſtum facit,
» quãdo & quomodo ſol ventos augeat. De Orione autẽ ait, ꝙ
» incertus, & difficilis Orion eſſe videtur, &c. Quo loci notum eſt verba illa δι᾽ ὧν ἐπιφέρει, tantum abeſſe, vt ſic accipiat Alex. quemadmodũ Piccolomineus credidit, ita ea latinè

„ tinè reddens, ex his, quæ modo ſubdit; quaſi velit Ariſt. ob ea, quæ de Orione ſubiungit oſtendere, quo modo & quando ſol flatus augeat, vt contrario ſenſu illa ſumat, quemadmodum nos interpretati ſumus, nimirum ob ea, quæ ex iam dictis infert Ariſt. addiſci earum rerum cauſam, quæ ſecundo capite ab illo propoſitæ fuere: quod perſpicue oſtendit verbum illud ἐπιφέρει, quo vſus eſt Alexander. proprie enim ſignificat ea, quæ ex poſitis, atq; iam conceſsis inferuntur, atq; colliguntur: quocirca idem in 7. Com. primi Priorum hac loquendi forma vſus eſt τὸ συμπέρασμα ἐπιφέρειν, paulouè infra eandem concluſionẽ vocauit ἐπιφορὰν. & ſanè quod
„ ad propoſitum locum attinet, cum Alexander dicat. De O-
„ rione autem ait, quod incertus & c. manifeſtum eſt, eum ſic velle Ariſtotelem verba facere de Orione, ac de ijs flatibus, qui eiuſdem exortu ſiue occaſu excitabantur, tanquã de re penitus diuerſa à propoſita quæſtione de ventorum augumento; adeo quod ſecundum Alexandri opinionem ex verbis antecedentibus non autem ex conſequentibus de Orione, colligitur ſolutio ſecundæ dubitationis ab eo propoſitæ. quod veriſsimum eſſe conſpiciemus, ſi meminiſſe volumus multis in locis Ariſtotelem ſcriptum reliquiſſe, vnam eſſe contrariorum ſcientiam; quare cum vnum ex alio cognoſcatur, in more poſitum eſt apud illum, aliquando de vno tantum pertractare, vt ex inde quis alterius ſcientiam exhauriret. quocirca Auerroes non veritus eſt dicere in ſua paraphraſi in Poeticam, Ariſtotelem ob hanc eandem cauſã de Commedia non pertractaſſe, vt in proemio iam ſibi propoſuerat facere: quin forſan, cum eadem ſit contrariorum diſciplina, ſatis ſuperq; illi fuiſſe Tragedię docuiſſe regulas. quapropter, dicendum erit, cum Ariſtoteles ſibi propoſuerit quærendas cauſas duorum inter ſe contrariorum effectuum, quomodo venti ceſſent, quoue modo ſpirando augeantur, cũ vnius rationes attuliſſet, neceſſario docuiſſe alterius, quia contrariorum eadem eſt diſciplina, & contrariæ contrariorum ſunt cauſæ. quod cum maxime Ariſtoteles intelligeret, breuitatis ſectator accerrimus, ſecundũ diſputationis membrnm explicare non curauit, cnm ex ijs, vt Ale-

 xander

xander optime perſpexit, quæ in primo iam dixerat, cauſas elucere ſecundi cognoſceret. neq; erit difficile videre, quomodo id ſequatur, cũ .n. Ariſt. dixerit flatus deficere, quãdo ſol maximo ſuo calore cõſumit calorẽ exhalationis debilẽ atq; modicum, quod accidit, vt ipſemet perſpicue docet in libro de Iuuent. & Seneƈt. cum maior calor alimẽtũ minoris abſumit, ita inquiens. quapropter nõ modo minor ignis marceſcit appoſitus maiori, ſed etiam ipſa per ſe lychni flãma maiori impoſita flãmę comburitur, vt quoduis aliud idoneũ vri; huius rei cauſa eſt, quod alimentũ quo flãma minor fruitur, id maior abſumit, antequã illi nouũ accedat. cum caloris nutrimentũ humida ſit materia, tunc affirmandum erit ſolem flatus ſedare, cum poteſt modicas, ac debiles exhalationes, ex quibus conſtant, ob paucũ earundem humorem ſubito conſumere: vnde colligitur ex contrariorum regula tum ventos ab eodem ſole augeri, cum ex multis & vegetis pleniſq; multa humiditate exhalationibus ortum ducent; eò quòd tunc ſuo calore augeat exhalationis calorem, qui haud quidem ſufficiens erat trahere ſecũ humidam partẽ; quę cum non poſsit ob ſui copiã conſumi à ſole, maiorẽ ab illo motum ac vim acquiret. quod totum innuit Ariſt. prob. 35. part. 26. ſecundum Gazę verſionẽ vbi dixit. Cur ſole ſe attollente ſpiritus & ſternuntur & augentur? an quia ſpiritus vel aëris vel redundantis humoris cõmotio eſt; quæ, vt cum parua eſt compendio à ſole conſumitur; itaq; nullus ſpiritus inde exiſtit: ita cum magna eſt ſolis exortu amplior redditur; ſol .n. autor & parens motuũ eſt. ac Theophraſtus libello de Ventis clarius tex. 18. Sol autem videtur & mouere ſpiritus cum oritur & ſedare; atq; hæc cauſa eſt cur frequenter augeri ſoleãt & comprimi: quod non vniuerſaliter verum eſſe apparet; ſed in quibus contingit hac de cauſa contingere arbitrandum eſt. cum enim qui aſcendit humor exiguus fuerit, hunc ſol vincens abſumit & exſiccat, ac ceſſare facit; at ſi eius copia amplior fuerit, impetum affert ac motionẽ vehemẽtiorẽ reddit. Nec aliud idẽ voluit Ariſt. prob. 54. vbi cauſam afferẽs cur Fauonius veſpere ſpiret, noƈtuq; deſinat, id cõtingere affirmauit, quia tunc ſolis motus

deſi-

deficiat; ac ſi dixiſſet, quia ſubito calor etiam ille deficiat, quem ſol ſuo motu, ac preſentia augebat illi exhalationi, ex qua Fauonius gignebatur. quocirca Theophraſtus citato loco concludens, dixit ventos aliquando ceſſare occidente ſole, quia ſeſe abſcondens auferat ab illis motum, quem dederat: pauloue infra pertractans eandem quæſtionem de Flatu Fauonio, complectensq; vna paucis verbis, quid ſol circa ventos efficiat, quoue modo operetur, ac eos gignat, vel
» augeat inter ſpirandum, ita inquit. Horis vero poſtme-
» ridianis afflat loci ipſius ratione; ſpiritus enim ſole humores
» diffundente, vel ſecernente proueniunt, vel certe ad princi-
» pium ipſum cooperante. Quapropter iure quidem tex. 44.
» de ſole ſermonem habens ita locutus eſt. propterea ſi flantē
» aliquem ventum offenderit maiorem reddit, quod nonni-
» hil adiunxerit.

### *Rurſus alia Ariſtotelis verba fuſius enarrantur, & dubitationes quædam perdifficiles ex eis tolluntur, reijciturq; Vicomercatus. Cap. VI.*

IAm verò ſatis explicatum eſt, quemadmodum Ariſtoteles docuerit cauſas vtriuſq; rei, videlicet cur ſol ventos ceſſare faciat, rurſus verò quo pacto illos augeat: quod cum præſtiterit, vnaq; tempus ceſſationis oſtenderit, quod eſſe dixit circa Orionis exortum, ad Eteſias vſq; & Prodromos: quia communis erat opinio eius ętatis in exortu atq; occaſu huius imaginis contrarios effectus locum habere, atq; ipſe dixerat, ventoſq; flare multos, eoſdemq; vehementiſsimos, qua de cauſa, & difficilis, incertaq; appellabatur; vt tempus etiam demonſtret eorundem motuum, & quando ipſis rurſus flare incipientibus, tranquillitas finem haberet, ac ſi ad nouam argumentationem diluendam ſe pa-
» raret, ita ſcribit. difficilis autem, & incertus emergens &
» occumbens Orion eſſe videtur; quibus in verbis illud præcipue venit conſiderandum, præceptorem procul dubio in illis tacitæ cuidam dubitationi potiſsimũ reſpondere, quę ex ſupra poſitis eiuſdem verbis oriebatur, quibus dixit circa Orionis ortum ventorum quietem eſſe; cum ſecus atq;

ipſe docuerat, tum ab autoribus affirmatum, tum vulgi opinione receptum atq; obſeruatum eſſet; idcirco ob eandem cauſam, vti recte quidem innuit Alexander, vocat Orionem ἄκριτον καὶ χαλεπὸν, adiuncta quidem inconſtantium ventorum propria, veluti aliqua in parte demonſtrauit Muſæus poetarum antiquiſsimus initio vetuſtiſsimi, atq; lepidiſsimi eius libelli, in quo mirabiliter cecinit infelicem Leandri, atq; Heronis amorem, vocans χαλεπὸν ἄητην, flatum illum, qui miſerum Leandrũ obruit vndis. Ad hęc notandum eſt Ariſtotelem accipere exortum apparentem, ſicuti manifeſtum eſt ex illa voce, qua vtitur ἐπιτολὴ, quam paucis verbis ita variat, vt oſtendat de diuerſo aſpectu verba facere à primo, quem ἀνατολὴν ſupra appellauit: cum Orion minime poſsit ἐπιτέλλων vocari, preterquàm, cum emergens è ſolis radijs, incipit, aut deſinit apparere; quoniã id ſignificat vox illa ἐπιτολὴ, ſicuti ſupra oſtenſum fuit; cũ è contra ſoli adiũctus & eius radijs obrutus ἀνατέλλων appellãdus ſit. neq; nos commoueat, ſi ſtatim Ariſtoteles exortũ Orionis apparentem hoc nomine ἀνατολη vocare videatur, quia parum refert, poſtquam veritatem docuerit, quo nomine eiuſmodi aſpectus appellaretur. quæ cum vera ſint, atq; conſpicua, ſi aliquis dubius eſſet, cur vocans Orionem difficilem atq; incertum, quia circa eiuſdem ortum atq; occaſum, difficiles atq; incerti flatus commoueri ſolerent, præterea nihilominus circa ipſius exortum tranquillitatem eorum dominari affirmauerit; ſatis patet, ſic philoſophum reſpondere; Orionem difficilem atq; incertum vocari reſpectu ortus apparentis, circa quem excitantur iam dicti venti, propterea quod in mutatione temporum contingit, quam vt plurimum tales effectus comitantur; cum temporum mutationes miſceant, atq; turbent omnia ob incertam, inconſtantemq; earum naturam. Tertio loco animaduertendum eſt, cum Ariſtoteles loquitur de ortu matutino apparente Orionis, eũ de ortu totius imaginis intelligere deq; tẽpore, quo integra cõſpiciebatur, nõ autem de principio apparitionis eiuſdẽ; tum quia, cum ſupra loqueretur de ortu vero Orionis, accepit totam imaginem, vt probatum eſt, tum

quia

quia vox illa ἄϛρον ſignificans, vt Theon in Aratum, Galenuſq; in Epidem. animaduerterunt, vniuerſam imaginem, alteraq; μέγεθος & demum illæ ἡμερῶν γίνεταί τι πλῆθος, ſatis id oſtẽdũt; tũ demũ quoniã eius verba, nequaquã vera eſſet alio ſenſu accepta. nã cũ accipi minime poſsint, niſi de tempore, quo Oriõ incipiebat apparere, aut totum ſe conſpiciendum tradebat; ſi dicamus Ariſtotelem de primo verba facere, in quo cum ſol percurreret extremas Geminorum partes Orion cum prima Clypei conſpicuus erat, nequaquam verum erit, tunc potuiſſe ſuſcitari ventos illos; cum illud tempus propinquiſsimum ſolſtitio ſit: quin potius ex rationibus allatis contrarium euenire, hoc eſt quietem eorundem produci: præſertim ſi cum Alexandro concedamus, & cum Vicomercato, hunc motum, atq; agitationem ventorum, multorum dierum ſpatio perdurare. nulli igitur dubium eſt, quin Ariſtoteles intelligat de ortu matutino apparente totius Orionis, qui erat ad dies 10. vel 11. circiter ante Syrij ortum, quo tempore & alijs flatibus, qui exortu eiuſdem commouebantur, & à Prodromis, qui tunc ſpirare incipiebant (cum Collumella, ac Ptolemæus velint hos flatus excitari die 13. aut 14. ante Canem; alij verò, è quorum numero Plinius fuit, ad diem circiter 8.) finis ventorũ tranquillitati imponebatur; quæ incipiens circa verum Orionis exortum, ad illud vſq; tempus perdurauit. Hinc clarum eſt, quis ſit ſenſus verborum Ariſtotelis, cũ dixit ipſam tranquillitatem eſſe vſq; ad Eteſias & Prodromos; nam idem erat dicere, ab ortu vero totius Orionis ad apparentem, cum hic aſpectus fieret circa id tempus, quo Prodromi flare incipiebant, qui Eteſias præuenientes, qui poſt Canem ſpirabãt, terminum conſtituebant tranquillitati. quod cum
„ recte cognouiſſet Ariſtoteles, poſtq; dixit vſq; ad Eteſias, ſu-
„ biunxit ſe ipſum explicans, & Prodromos. Quamobrem, cũ cauſas docuerit tranquillitatis, & tempus etiam in quo contingebat, iuremeritoq; ſubiungit vnde hi flatus oriantur, qui cum flare incipiunt, tollunt iam dictam tranquillitatem: hi cum ſint Eteſiæ, & Prodromi, inſuper & illi, qui exortu apparente totius Orionis ſurgebant, idcircò

quem-

" quemadmodum vtriq; generentur docere aggreditur. Ve-
" rum aliquis dicet motus forſan ab illis verbis καὶ διὰ τὸ μέ-
" γεθος τοῦ ἄστρου, ἡμερῶν γίγνεταί τι πλῆθος, id eſt & ob magni-
" tudinem aſtri dierum fit aliqua pluralitas, Ariſtotelem hic accipere principium non finem exortus, & occaſus apparentis Orionis, quia vt exponere videtur Alexander, his verbis voluit oſtendere, cum imago Orionis conſtet ex multis ſtellis, quæ haud oriuntur, & occidunt vno & eodem die, ſed diuerſo tẽpore, neceſſe etiam eſſe, vt ad multos dies totius imaginis ortus protrahantur, ac ſubinde cum venti, tũ eorundem agitatio; quod quidem nequaquam locum habere poteſt, niſi accipiamus principium exortus, ac ſi tunc venti flare inciperent, & durarent vſq; ad illum punctum in quo poſtremæ eiuſdem ſtellæ deſinunt apparere. nam & hoc pacto dierum fiet illa pluralitas quam dicit Ariſtoteles. neq; alicuius eſt momẽti id, quod Vicomercatus in Alexandrum
" adducit his verbis. Alexander verò ait magnitudinem in
" cauſa eſſe, vt non totus ſimul exoriatur, & occidat, ſed
" multis diebus, quod quemadmodum verum ſit explicatu
" diffiile eſt, quandoquidem ſingulis diebus, quibus exori-
" tur, totus oriri, & occidere cernitur. Qui vir alioqui eruditus, oſtendit, ſe nequaquam meminiſſe principia aſtrologię, quoue modo aſtrologi accipiant ortum atq; occaſum aſtri alicuius: cum vt omnes optime norunt, verum ſit quotieſcunq; aliquod aſtrum conſtat ex pluribus ſtellis, quę differant inter ſe in Zodiaci lõgitudine, & latitudine, minime illud oriri poſſe, vel occidere ſiue ortu vero, ſiue apparente, & occaſu eadem die totum. ſed vt ad noſtrã dubitationem redeamus dico, non vt Alexandro contradicam, verum quia hanc credo eſſe veritatem, Ariſtotelem aliud voluiſſe (quantum ipſe exiſtimo) & accepiſſe illis in verbis; quia penitus cum tollere vellet difficultatem, & contrarietatem, quæ emergere poſſet, ex iam ſupra allata diſputatione de ortu vero Orionis; poſtquam dixit incertus autem & difficilis & c. hoc eſt (vt mea quidem fert opinio,) quod communi omnium ſententia de ventis dicitur, exortum Orionis eos commitari, ita accipiendum eſt, ac ſi de

appa-

apparente exortu totius imaginis agatur; qui accidit circa tẽporum mutationem (principium nempe & cauſam huius accidẽtis,) qua de re quicquid ſupra allatũ eſt de eorundem quiete, nullam contrarietatem in ſe continet: cum diuerſis Orionis aſpectibus, diuerſis temporibus contingentibus, diuerſi contrarijque inter ſe effectus locum habere poſsint. ſequitur poſtea, quaſi dubitanti animo occurrens, qui fieri poſsit vt inter verum Orionis exortum, atq; apparentem, locum habeat tranquillitas. & ob magnitudinem aſtri & c. ac ſi dixiſſet, iam diximus vero Orionis exortu tranquillitatem oriri, in apparente verò ſpiritus cieri, ſciendumq; eſt ob magnitudinem aſtri inter vnum atq; alterum aſpectum tot dies intercedere, vt nullo negotio locum habere tranquillitas eiuſmodi poſsit. aut dicendum eſt, cum Ariſtoteles ſupra affirmauerit, Orionem exoriri & occidere in mutatione æſtatis, atq; hyemis; cum perſpiceret id nequaquam verum eſſe, niſi in fine eiuſdem exortus, & occaſus, proinde aliquem poſſe dicere, hanc imaginem oriri incipere, atq; occultari, antequam illæ temporum mutationes euenirent, propterea ſubiungere poſtea, ac ſi huic dubitationi reſponderet, & ob magnitudinem aſtri & c. perinde ac diceret, ſciendum eſt, ob magnitudinem huius imaginis, multis diebus tùm eius exortum, tùm occaſum fieri, adeo quod licet illa apparere incipiat multo antea, quàm æſtatis mutatio accidat, occumbere vè ante hyemis mutationem, tamen vtriq; aſpectus ob illius magnitudinem tot diebus perdurant, vt in illis mutationibus eueniant. Quod ſi hæ duæ expoſitiones non cuiq; arrideant, adiungamus & tertiam. ex Seruij autoritate colligimus prim. Eneid. vbi de Orione verba faciens ita inquit. Sanè magnitidine ſua multis oritur diebus, & ideo eius etiam apud peritos, eſt incerta tempeſtas: veteres idcirco Orionem incertum nuncupaſſe, quia ad vnguem neutiquam decerni poteſt dies, quo credendum ſit, poſſe locum habere mutationem exortu ipſius, atq; occaſu annotatam; idq; propterea, quia ob eius magnitudinem ex multis ſtellis conflatur, quæ multos dies conſumunt in ortu atq; oc-

caſu, ita vt cum vnaqueq; ſtella huius imaginis hanc mutationem efficiendi vim habeat, neutiquam intelligi poſsit toto tempore, in quo eiuſmodi aſpectus efficitur, quod mēſem ferè explet, quanam die hæc mutatio expectanda ſit; quod cū ita ſe habeat, dicēdū vtiq; erit Ariſt. cū velit docere, cur Orion exoriens, atq; occumbens dicatur ἄκριτος, id eſt incertus, & χαλεπὸς .i. difficilis; hoc pacto id pręſtare: nempe vt dicat Orionē vocari incertum atq; difficilem, hoc eſt, vt recte quidem Alexander exponit, multoq; antea Theophraſtus, qui affert flatus incertos, ac difficiles, ob duas cauſas; prima eſt quia oritur, & occidit in temporum mutationibus, quæ plenæ ſunt motu ac varietate omnes; quocirca neceſſarium eſt, ventos, omnemq; aliam rem, quā in eis fieri contingat, hæc accidentia commitari, atq; conſequenter incertam .i. vt Alexander exponit ἄλλοτε ἄλλην, & difficilē id eſt vt declarat Ariſtoteles ταραχώδη, grauem nimirum atq; moleſtam hominibus, & quæ etiam turbat, aufertq; aëris tranquillitatem, ac ſerenitatem; quapropter in problem. 7. ſect. 25. videmus vocem ταραχὴν vna cum vento poſitam, opponi voci αἰθρία, ſignificanti eo in loco pacem ac tranquillitatem aëris. Altera verò cauſa eſt quia ortus, & occaſus Orionis longius protrahatur, ob eius magnitudinem, quod quidem Ariſt. innuit his verbis
» καὶ διὰ μέγεθος τοῦ ἄστρου, &c. ex quo neceſſariū eſt, ventos, quos affert incertos eſſe, ac difficiles, cum non exactè ſciamus quo die flare incipiant, quādo nō minus poſsint in fine eiuſmodi aſpectuum excitari, quàm ante illum per multos dies, in quibus identidem ſydera imaginem formantia oriuntur. Hic non pretermittam, quamuis & ipſi cogamur rationibus ſupra allatis, quaſue infra etiam dilucidius colligemus affirmare, Ariſtotelem accipere hic tantummodo ortum; atq; occaſum totius Orionis; tamen eius verba, vera etiam eſſe de alijs aſpectibus; cum veriſsimum ſit Orionem tunc naſci incipere ortu vero ἐν μεταβολῇ θέρους hoc eſt in mutatione ueris in æſtatem, ſi accipere velimus principium æſtatis à Vergiliarum ortu; eo quod prima Clypei ſupra Athenarum horizontem cum ſole conſcendebat, non

amplius

amplius quàm diebus quatuor poſt Vergiliarum exortum; item verum eſt Orionem elucere incepiſſe ortu apparente, ἐν μεταβολῃ θέρους, .i. in mutatione, quæ æſtate fit per ſolſtitium æſtiuum, cum vt iã oſtēſum eſt, nō amplius quàm diebus ſeptem antea; prima huius imaginis ſtella è radijs ſolis emergens conſpiceretur: id quod etiam locum habet in fine ortus cum veri, tum apparentis, cum vnus eſſet ſolſtitij iam dicti tempore, alter vero paulo ante Caniculam, quę quidem ambæ mutationes in æſtate contingebant. Idemq; euenire quiſq; cernet, circa eiuſdem Orionis occaſum, ſi quis diligenter animaduertere voluerit tempora à nobis deſcripta, in quibus incipiebant, deſinebantq; hi aſpectus; eaq; ipſa cum mutationibus hyemis id eſt cum Vergiliarum occaſu, & cum brumæ ſolſtitio comparare: atq; hoc fortaſſe eſt, quod acutiſsime dixit Ariſtoteles ob magnitudinem aſtri dierum fieri aliquam pluralitatem; nimirum tantam, vt in mutationibus æſtatis atq; hyemis aſpectus hi poſsint euenire. ſenſum hunc crediderim, ego aut huic per ſimilē continere hæc verba maxime quidem difficilia intellectu, quę profecto ita expoſita potius lumen, ac ſplendorem afferunt opinioni noſtræ, quàm tenebrarum quid offundant.

*Ariſtotelem de apparente exortu totius Orionis intelligere pluribus rationibus probatur. Cap. VII.*

ARiſtotelem verò citato 2. Meteoron loco de ortu apparente totius Orionis verba facere atq; aſpectum hunc potiſsimum intelligere ex his, quæ iam dicta ſunt tribus rationibus perſuaderi poteſt: prima eſt, quia Theophraſtus & ipſemet Ariſtoteles in eo problemate, vbi eadem quæſtio pertractatur, talem aſpectum acceperunt. nam cum ipſi dicant exortum Orionis, quo cum ſtatus excitabantur, fuiſſe principio oporæ, cum huius tempeſtatis principio fieret tunc temporis tantum apparens exortus totius imaginis, vti iam ſupra declaratum eſt, neceſſarium erit fateri hic de eodem per-

„ tractari. altera verò ratio eſt, quia cum ſupra dixerit περὶ
„ ὠρίωνος ἀνατολὴν, verum exortum totius Orionis accepit;
tunc enim ventorum tranquillitas gignebatur, cum ſol exiſteret in puncto conuerſionis æſtiuæ. quamobrem cum infra loquatur de apparente exortu, atq; de aſpectu, vt orationis ſeries oſtendit, qui poſtea fieret, & in quo quies deficiebat ob flatus, qui cum ipſo Orione excitabantur, nequaquam intelligere poteſt, niſi de eo ipſo tempore, in quo totus emergebat. nam illud tempus, quo cum apparere incipiebat, ante verum eiuſdem exortum erat; ſed iam ſatis ſupra expoſitum eſt, quotieſcunq; verba facimus de Orionis ſeu alicuius alterius imaginis exortu intelligi tantũ poſſe de principio aut fine ſui exortus: preterquam quod & ſi locus Ariſtotelis, de aliquibus tantum ſtellis particularibus ageret nobilioribus atq; illuſtrioribus huius imaginis, nequaquam verum eſſet affirmare, illis orientibus, eos ventos ſpirare potuiſſe, de quibus loquimur. hæc .n. ſydera poſt ortum verum totius Orionis tunc viſebantur, cum ſol Cancrum attingeret, antequam totus exortus apparens fieret: vt exempli gratia dexter Humerus eiuſdem, qui oriebatur, quando ſol grad. 14. 15. Cancri attingebat; aut Pes ſiniſter, qui viſebatur tunc, cũ idem ſol erat in 8. grad. 45. eiuſdem ſigni. quamobrem cum parum abeſſet ſol ab æſtiua conuerſione, quo tempore potius tranquillitas gignitur, non poterant in illorum emerſu flatus illi commoueri. Tertia vero & poſtrema ratio eſt, quia cum nõ poſsint verba Ariſtotelis, quãtum ad exortum matutinum pertinet, accipi, niſi quatuor modis; hoc eſt aut de principio, aut de fine exortus veri Orionis, aut de principio, aut fine apparentis: primo affirmandum non eſt initio veri exortus illos flatus exoriri potuiſſe quatuor de cauſis; prima eſt, quia poſt peractam tranquillitatem excitari hos ventos ſcribit Ariſtoteles; tranquillitas vero circa ſolſtitium eueniebat & cum Orion totus vero ortu oriebatur: atqui vt dictum eſt, initium ortus veri Orionis contingebat ante verum exortum totius Orionis. ſecunda, quia huiuſmodi aſpectus ſtellarum ad ventorum, pluuiarum, ſimiliumue

aëris

aëris affectionum mutationes ſignificandas nullius momenti ſemper habitus fuit apud antiquos; cũ poetæ omnes tũ medici, philoſophiq; vt videre eſt apud Homerum, ac Heſiodum, tum apud Hippocratem, Galenum, Ariſtotelem, atq; Theophraſtum, tantummodo apparentem eiuſmodi ſyderũm exortum obſeruauerint, huncq; aliquod pondus habere circa hæc talia exiſtimauerint. cõmode enim apparentes aſpectus obſeruantur, prędiciq; poſunt, veri autem nequaquam, vt in ſuis phænomenis Geminus inquit. tertia, quia tunc temporis ortus verus Orionis incipiebat, quando Vergiliæ conſpiciebantur, quæ cum ſecum ducerent æſtatem, aërem quietum tranquillumq; reddere ſolebant: quocirca Aetius 3. lib. ab antiquis, vt ſolet, accipiens, inquit,
„ Menſis Maij ſeptima, Pleiades mane apparent, & aër ſeda-
„ ri incipit; quamobrem haud quidem veriſimile eſt, per id tempus illam ventorum turbationem dominari potuiſſe. quarta tandem, quia licet negare velimus Aetio Vergilias ſemper afferre ſecum tranquillitatem, atq; quietem, dicendum eſt potius ventos illos ad earum exortum eſſe referendos, vt quæ magis apud veteres illuſtres, quàm Orion, haberentur: quod forte Ariſtoteles fecit 8. lib. de Hiſt. anim. qui notare volens perturbationem contingentem Strymonii flumini, ob quoſdã flatus, qui magni ac inter ſe cõtrarij excitabantur: vt aquæ ob ventorum motum iam turbidæ, ad piſcationem anguillarum aptæ redderentur, id cum Vergilijs ſignificauit, non cum Orione, accipiens vt Sueſ-
„ ſanus docet earundem exortum. & quidem, inquit, in Stry-
„ mone amne circa Vergilias capiuntur, tunc enim aqua, &
„ lutum aduerſis flatibus inturbatur. Hinc forſan Olympiodorus literis commendauit circa 24. Maij maximos flatus excitari, idcircoq; hunc diem appellatum fuiſſe παχίτιν, quamuis ipſe id tribuat exortui vero Orionis, quod potius tribuendum apparenti Vergiliarum exortui videbatur; quemadmodum prudenter multo antea fecit Hęſiodus, qui etſi Pes ſiniſter Orionis penè cum Vergilijs occideret eius ætate; attamen potius cum illis maximam maris tempeſtatem à multis ijsdemq; contrarijs ventis excitatam indicare

dicare voluit, quàm cum ipſo Orione, atq; ita cecinit.

Εἰ δὲ σε ναυτιλίης δυσπεμφέλου ἵμερος αἱρῇ,
Εὖτ ἂν Γληιάδες σθένος ὄβριμον ὠρίωνος
Φεύγουσαι πίπτωσιν ἐς ἠεροειδέα πόντον
Δὴ τότε παντοίων ἀνέμων θυουσιν ἀῆται, id eſt.

Quod ſi te nauigationis periculoſæ deſiderium cęperit
Quando vtiq; Pleiades robur validum Orionis
Fugientes, occiderint in obſcurum pontum.
Tunc certè variorum ventorum ſtridunt flamina

quem locum exponens Proclus inquit, tunc temporis cum Vergiliæ abſcundebantur flare conſueuiſſe multos difficileſq; flatus, tempuſq; illud a nautis, πανδυσικν, vocatum fuiſſe; ex quibus perſpicuum eſt ventos illos, qui propè exortum, ſiue occaſum Vergiliarum excitabantur nihilominus Vergilijs ab antiquis notatos fuiſſe, quamuis aliqua Orionis ſtella conſimilem aſpectum efficeret. Quapropter concludendum erit flatus, qui ab Ariſtotele, ac Theophraſto Orioni tribuuntur, ita illius eſſe, vt non poſſint ab alia ſtella ſignificari; qua de re vt ad propoſitam quæſtionem reuertar, ſi ob rationes allatas, nequaquam dici poteſt, principio exortus veri Orionis illos flatus excitari, nec etiam in fine eiuſdem, quia tunc tempus tranquillitatis erat, nec in principio apparentis ob eandem rationem: conſequens neceſſario erit finem apparentis exortus eiuſdem, Ariſtotelem intellexiſſe, cui eiuſmodi euentus iuremerito referendus erat; vtpotè qui non poterat alia aliqua ſtella, aut puncto ſignificari, ac oſtendi, quibus ad id ſignificandum antiqui vtebantur. nam neq; cum Vergilijs, quæ multo antea apparuere; neq; cum ingreſſu ſolis in Cancrum, quod longe prius contigerat; neq; cum Syrio tandem, qui poſtremo conſpiciendum ſeſe præbebat. Verum, vt vnde digreſsi ſumus redeamus, poſtremo animaduertendum eſt, præceptorem mutationem hyemis illam intelligere, quæ potiſsimum fit à ſole ingrediente brumale ſolſtitium, quia tunc erat occaſus matutinus apparens totius Orionis, quem neceſſario dicendum eſt Ariſt. accepiſſe, niſi æquiuoce locutum fuiſſe dicere velimus; atq;

ſi illam occaſus ſpeciem intellexit, quæ illi exortui reſponderet, de quo iam ſuperius egerat, quemadmodum credere rationi eſt conſentaneum. item per mutationem æſtatis intellexiſſe, quæ in ipſa ſigillatim fit, cum à prima eiuſdem parte fit tranſitus, ad aliam, quam oporam appellant: quam Hippocratem imitatus Ariſtoteles comprehendit ſub hac voce θέρος. nam quemadmodum ſupra vidimus, ſępe ac ſępius, oporam quæ inter Canem, & Arcturum intercedit, eo nomine diuinus ſenex dignatus eſt: quod etiam ſatis aperte
” habetur Epidem. p. vbi ita inquit, μέτα κυνα, μεχρι αρκτουρου
” θέρος θερμον, id eſt poſt Canem ad Arcturum vſq; æſtas cali-
” da. quocirca Ariſt. ſexto de anim. hiſt. de ceruis ſermonem habens dixit, eos æſtate pingueſcere ſupra modum; in nono autem eiuſdem hiſt. de ijſdem eadem repetens, ſcriptum reliquit, oporæ tempore mirum in modum pingueſcere; vbi latiſsime patet illud anni tempus quod in 6. æſtatem vocat, in 9. idem oporam vocare. quibus ſic declaratis nullus modo dubius erit de vero huius loci ſenſu, ac abſq; vlla difficultate ad quatuor illas obiectiones iam ſupra allatas, quæ diù expoſitores torſerunt, reſpondere quiſq; facile poteſt.

*Quatuor iam ſuperius huius diſputationis initio dubitationes poſitæ diſſoluuntur, demonſtraturq; nullam eſſe inter Ariſtotelis & Theophraſti loca diſſenſionem. demum argumentationes Vicomercati ſoluuntur, finiſq; imponitur operi. Cap. VIII.*

SVper eſt nunc obiectiones initio poſitas diluere, vt poſsimus tandem finem diſputationi imponere, quarum primæ reſpondemus, meritò quidem vſum eſſe Ariſt. particulam διὸ, vtpote qui ex ſupra enarratis ſequi voluerit circa Orionis ortum flatuum tranquillitatem dominari; congruum enim erat, ſi accipimus, vt dictum eſt, verum exortum totius imaginis, qui in ſolſtitio fiebat, tunc circa tempus, quo id contingebat, flatus deficere. Alteram verò tollimus, nullam in verbis ineſſe repugnantiam aſſerentes, cũ præceptor de duobus inter ſe diuerſis aſpecti-

bus

bus verba faciat, hoc eſt primo loco de vero exortu totius Orionis, quo dixit tranquillitatem dominari; ſecundo autem de apparente eiuſdem exortu, quo tempore voluit flatus excitari. Tertiæ vero obiectioni ſatisfaciemus ſi fateamur Orionem exoriri, cum vero tum apparente exortu, ante Eteſias, dummodo accipiamus Eteſias in quantum differunt à Prodromis, atq; continenter flantes poſt Canem excitantur: quod ſi latè accipiamus Eteſias, vt etiam Prodromos comprehendunt, quemadmodum hic Ariſtoteles fecit, qui non alia de cauſa, poſtquam dixit vſq; ad Eteſias, ,, ſtatim ſubiunxit ſe ipſum declarans, & Prodromos; dicẽdũ erit, verum tantum exortum totius Orionis ante Eteſias fuiſſe, & Prodromos; nam, vt iam vidimus, huius ortus apparens tunc erat, cum Prodromi flare incipiebant. quamobrem cum Ariſt. ab Orionis exortu dixit ad Eteſias vſq; tranquillitatem ineſſe, docere voluit, circa exortum verum eiuſdem tranquillitatem incipere, perdurareq; vſq; ad Prodromos: quibuscum apparens exortus cum fieret, nequaquam poterant flatus, qui eiuſdem exortu gignebantur aliqua in parte dictam perturbare tranquillitatem. ex quibus omnibus etiam clarum eſt, quomodo quarta difficultas tolli poſsit. Reliquum igitur erit, vt metam diſputationis attingamus, oſtendere, nequaquam diſcipuli ſentẽtiam diſſentaneam eſſe à præceptoris mente, atq; Vicomercati nodos diſſoluere. quodue ad primum attinet, ſi Ariſtoteles intelligens, ſicuti iam ſupra ſatis ſuperq; probatum eſt, eam æſtatis mutationem, quæ potiſsimum fit à prima in ſecundam partem eius, quæ vocatur opora, voluit Orionem eo tempore naſci, idcircoq;, cum incertos, ac difficiles flatus ſecum afferat, difficilem atq; incertum vocari; hęc eius ſententia haud quaquam diſſentit ab ea, quam poſuit ſuis in prob. quod cũ verũ ſit, neſcio quo pacto, Nugarolę expoſitio, ab eo in Dialogo de Nili inundatione allata, admitti ,, poſsit; qui dictum problema citans, verba illa, oporæ initio eo loci principium æſtatis ſignificare, id eſt tempus ſolſtitij docuit; autoritateq; Adamãtij Sophiſtę, ab Aetio lib. 3. relata Orionem tunc ad 25. diem Iunij exoriri: quo in loco & illud

illud maxima admiratione dignum eſt quod ſubiungit, noſtra etiam ætate id ipſum contingere; ſolſtitialibus nempe diebus Orionem naſci. verum vt redeat vnde iam diſceſſerat oratio, ſatis itidem clarum eſt, Ariſtotelem eadem dicere, quæ & diſcipulus eius Theophraſtus; qui, clarius quid ſentiret explicans, ſuis monimentis ſcriptum reliquit, Orionem naſci principio oporæ, quod tempus appoſitè à præceptore dictum fuit μεταβολὴ τοῦ θέρους, id eſt mutatio, quæ fit æſtate; & idcirco eiuſdem exortu (vt qui fit in temporum mutatione) incertos inequaleſq; ſpiritus flare; vnde Orion inequalis turbulentuſq; dicebatur. nec nos moueat, ſi Ariſt. hoc in loco Orioné vocat ἄκριτον καὶ χαλεπὸν, cum idem alibi in Problematibus, atq; in libello de Ventis à Theophraſto dictus ſit, ταραχώδης καὶ ἀνώμαλος: quia hæ quatuor voces ſibi ipſis inuicem reſpondent, vt cauſæ atq; effectus: cum idem ſit dicere ἄκριτος, quod & ἀνώμαλος; neq; aliud χαλεπὸς, quàm ταραχώδης; cum incertitudo, quod ad hanc rem pertinet, ab inequalitate, difficultas verò à perturbatione exoriatur. Ad hæc ſi eadem ſpecies occaſus accipienda eſt .i. apparens totius Orionis occaſus, Ariſtoteleſq; dixit aſpectũ hunc contingere in mutatione hyemis, ac mutationis hyemis nomine intellexit eam, quæ fit cum ſol ingreditur primum Capricorni punctum, Theophraſtus verò id ipſum tẽpus ἀρχὴν χειμῶνος appellans, eo quod, quæ propriè hyems vocatur, principium inde ſumat, idem affirmauit; nulli dubium erit, hac etiam in parte nullã eſſe inter illos differentiam. quin potius cum non aliundé vtriuſq; philoſophi ratio robur accipiat, quàm ab illa vniuerſali propo„ ſitione, quam Ariſt. ita expreſsit, mutationes autem omniũ „ turbulentę ſunt ob incertitudinẽ; quam Theophraſtus cõ„ plexus eſt illis in verbis, in mutationibus natura compa„ ratum eſt, vt omnia ſemper ſint indefinita; concludendum erit eandẽ quæſtionem ab vtriſq; diſputatam & iiſdem fundamentis pertractatam fuiſſe, conſequenterq; Vicomercati opinionem nullum habere adminiculum: cuius obiectiones facile euelli poterũt ex noſtra expoſitione. Nam ad primam, atq; ſecundam, quid reſpondendum ſit, ſatis patet, cũ

